[illegible]
[illegible]

F

HORTUS BOTANICUS
VINDOBONENSIS,
SEU
PLANTARUM RARIORUM,
QUÆ
IN HORTO BOTANICO VINDOBONENSI,
AUGUSTISSIMÆ
MARIÆ THERESIÆ
MUNIFICENTIA REGIA
IN
UNIVERSITATIS PATRIÆ
EXCELLENS ORNAMENTUM PUBLICAMQUE UTILITATEM EXSTRUCTO,
COLUNTUR,
ICONES COLORATÆ ET SUCCINCTÆ DESCRIPTIONES.
CURA ET SUMPTIBUS
NICOLAI JOSEPHI JACQUIN
BOTANICES PROFESSORIS.
VOL. III.

VINDOBONÆ,
TYPIS JOSEPHI MICHAELIS GEROLD,
AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXVI.

MISSOURI BOTANICAL RECEIVED APR 20 GARDEN LIBRARY

HORTUS BOTANICUS
VINDOBONENSIS.

ANIMADVERSIONES

IN PRIORA VOLUMINA HORTI ET FLORÆ.

Rosa bicolor in prima tabula Horti depicta, tandem cœpit in hortis nostratibus flores proferre aliquot in integrum luteos. Videtur itaque differre dumtaxat tanquam varietas a *Rosa lutea Tabernæmontani ic.* 1087, & *Joannis Bauhini hist.* 3. *pag.* 47, quæ omnium florum petala omnia habet mere lutea, in Linnæi Systemate & Speciebus desiderata.

Aster pannonicus tabulæ octavæ erit forte sola varietas *Asteris Tripolii.*

Scabiosam divaricatam tabulæ quintæ & decimæ Linnæus in Mantissa sua altera, proximo post opus meum anno edita, proposuit sub novo *Scabiosæ siculæ* titulo.

Digitalis parviflora tabulæ decimæ septimæ posteaquam per undecim jam annos, qualis descripta depictaque sistitur, perstiterat, effossa aliamque in areolam transplantata, nunc pergit quotannis producere flores simillimos *Digitali flore ferrugineo Riv. monop. irr. tab.* 98. Esset sic *Digitalis ferruginea* Linnæi. Sed etiam Riviniana planta haud parum abludit a sylvestri, a Buxbaumio delineata, & ab illustri Mygindo ex littorali Austriaca regione adlata.

Phaseolus rufus tabulæ trigesimæ quartæ aut *Phaseolus* Linnæi *lunatus* ipse est, aut illius varietas.

Staticem Armeriam majorem tabulæ quadragesimæ secundæ, quam adhucdum pro distincta specie habeo, Linnæus in decima tertia Systematis editione asserit, esse *Staticem lusitanicam scor-*

zoneræ folio Tourn. Quod itaque adjungi ſynonymon ipſi poſſit; deleri dum debeant illa, quæ ego citavi.

Tordylium tabulæ quinquageſimæ tertiæ *apulum* a me dictum, eſt ſane *Tordylium apulum* Rivini; ſed a Columnæ planta alienum; quare deleantur apud me ſynonyma & titulus; reponaturque cum tota ſynonymia ſua *Tordylium officinale.*

Ex *Scirpo* tabulæ nonageſimæ ſeptimæ, quam pro *Cephalote* habueram, nunc Linnæus novam fecit *Schœni nivei* ſpeciem.

Tabulæ centeſimæ ſextæ plantam, quam ſuaſu celeberrimi Linnæi ad *Tragopogonis* genus retuleram, video nunc ab ipſo *Geropogonibus* aſſociari. Species *Scorzoneræ*, ſi propriæ inhæſiſſem ſententiæ, fuiſſet.

Seſeli multicaule tabulæ centeſimæ vigeſimæ nonæ eſt *Seſeli montanum* Linnæi.

Scabioſam altiſſimam tabulæ centeſimæ octogeſimæ quintæ ad *Scabioſam* pertinere *africanam* ſuam, Linnæus me monuit, variabilem plantam. Nec quidquam repugno.

Caucalis tabulæ quintæ & nonageſimæ ſupra centeſimam ceu nova a me propoſita fuit, quia tunc, errore pluribus communi, *Caucalim daucoidem* Linnæi pro ejusdem *Caucali leptophylla* habebam. Eſt autem mea illa planta genuina *Caucalis leptophylla*, ut mutandum triviale nomen meum veniat. In Caucalibus extricandis clariſſimo Gerardo in Flora Gallo-provinciali plurima debemus; nec tamen ſatis apte ſine figuris illa intelliguntur, ut in nuperrima editione Syſtematis Linnæani *Caucalim platycarpon* novo errore (niſi typographica id factum negligentia ſit) omiſſam videamus. At vero dum modo memorata Horti tabula *Caucalim leptophyllam*, hujus tertiæ partis tabula decima *platycarpon*, & Floræ Auſtriacæ centeſima quinquageſima ſeptima *daucoidem* icone illuſtrat, confuſio earundem in perpetuum, opinor, fugabitur.

Ad Floræ Auſtriacæ *Arabim Turritam* in tabula undecima exhibitam addi debet ſynonymon Halleri num. 444, etiamſi vir illuſtris ſuam plantam pro *Arabi pendula* Linnæi habeat, cujus figura in tabula trigeſima quarta hujus voluminis Horti tradetur.

Galium auſtriacum in Floræ tabula octogeſima nunc omnino exiſtimo ab Halleri Galio num. 715 non differre. Noſtratem quidem plantam huc usque ſemper glaberrimam inveni; ſed ex miſſis pluribus a beato Dickio ſiccis ſpeciminibus Helveticis alia habuere oras foliorum inferiorum ciliate aſperas, alia ex adverſo, ſtirpis adinſtar Auſtriacæ, omni ubique aſperitate deſtituta fuerunt. Poſt acceptam inſpectamque meam Floram Linnæus, credere ſe, mihi ſcripſit, unum idemque eſſe hoc Galium meum cum ſuo *Hieroſolymitano.* Illuſtris Schreberi *Galium aſperum*, quod etiam in Auſtria creſcit, ab Halleriano illo meoque diſtinctum puto.

Arnicam Halleri num. 91 ſeparavi ab *Arnica Doronico* mea tabulæ nonageſimæ ſecundæ, & quidem haud recte. Poſtea a reverendo Dickio celeberrimoque Allionio edoctus ſum, eſſe eandem plantam, variabilem magis in Pedemontio & Tyroli, apud nos a Cluſiana icone raro multum aberrantem.

Male etiam in *Hieracio* meo tabulæ centeſimæ octogeſimæ nonæ citavi illuſtrem Hallerum Linnæumque. Et amiciſſimus quidem Hallerus me monuit, non eſſe ſuum. Sit ergo meo novum nomen *Hieracium humile.* Affine quidem *Hieracio murorum*, ſed vere tamen diverſum, conſtantiſſimum in cultura, ſive transplantatum ipſum, ſive ex ſatis ſeminibus ortum.

TA-

TABULA PRIMA.

ABROMA FASTUOSUM.

Theobroma Auguſta. *Linn. ſyſt.* 3. *p.* 233.

Arboris formam habet, cuiaque in caldario qualibet hyeme folia perdit; primo alteroque ætatis anno expers ramorum florumque fuit; tertio demum florere cœpit, ramos paucos in ſuperiore magis parte ſpargere, trunco ſpectabilis recto duodecimpedali & ad baſin ſeſcunciam diametro excedente, qui, ubi putatur, gummoſum ſuccum fundit; impletus, uti & rami petiolique, ſambuci adinſtar, medulla alba. Atque ſic quotannis florere pergit. Folia alia ſunt cordato-acuminata ac vix angulata; alia, præcipue primi anni ferme omnia, ſunt angulato-lobata lobis fere ſeptem acutis & anterioribus productioribus, cujuſmodi delineatum majus aliquod, nec hoc ex maximis, a dorſo pictæ ſtirpis viſitur. Omnia donantur petiolis teretibus, venoſa, ſerrulata argute, alterna, utrinque virentia, ſed ſubtus pallidius. Horum imprimis adverſa pagina, tum quoque petioli, pedunculi, calyx, fructus, rami & caules obſidentur ſetis rigidis, albidis, nitidis, decumbentibus, ſubinnocuis, ad oculum nudum ægre obſervandis, facile ſecedentibus atque hinc adhærentibus manui attrectantis. Pedunculi ſolitarii in ramorum extremitate oriuntur e regione ultimi folii, atque ultra illos tunc rami elonguntur, ita ut ad quodlibet ſic noviter proditurum in ramis iſtis folium ſuus etiam pedunculus comes egrediatur. Eſt autem hic plerumque bifidus & biflorus, dum flores ſibi mutuo ſuccedunt ad aliquot dies, qui ambo quandoque abortant, ſerior ſaltim, ubi præcocior in fructum abit, hucusque abortavit ſemper. Brevi tunc etiam ipſe decidit pedunculus ſterilis, dum fertiles ex adverſo increſcunt, incraſſantur, & recta ſtricteque erigunt ſeſe. Stipulæ ad petiolos utrinque ſolitariæ, ad pedunculorum vero diviſionem quaternæ, anguſte lanceolata acutaque figura gaudent. Calyx adhucdum clauſus eſt ovato-oblongus & pentagonus, continens petala convoluta ſaturatiusque colorata. In flore eleganti, cernuo, fereque inodoro, invenio characterem ſequentem. Perianthium pentaphyllum perſiſtit; cujus foliola lanceolata, acuta, integerrima, patentiſſimaque pallide virent. Nectaria adſunt duo. Alterum exterius campanulatum & monophyllum ſecatur profundiſſime in foliola quinque, oblonga, obtuſiſſima, concava, ſordide pallentia, variegata per ſtrias, easque interne tres acutas, atropurpureas; cæterum ad ipſas oras, ad ſupremum limbum fimbriato-piloſum & verſus latera appendicula lanceolata auctum, & ad connatam baſin, in integrum atropurpurea. Sub apice limbi nectarii memorati intra ſquamam quamlibet adnaſcitur petalum coloris inamœne badii, purpura tingens, ad unguem flaveſcens, ovatum, magnum, concavum, obtuſum, laxe pendulum, integrum, ſupra originem rariter piloſum, cum ungue recurvato brevi. Nectarium alterum interius baſi connaſcitur cum exteriori, quo brevius, ultra medium quinquepartitum in lacinias obverſe cordato-oblongas, ſuperne ad marginem piloſas & recurvato-fornicatas, ex atropurpureo pallidoque varias, cum foliolis nectarii exterioris alternantes. Ante nectarii exterioris ſingula foliola in receptaculo communi locatur corpuſculum glanduloſum flavum unguiforme ſolidum nitidumque, quod avulſo illo nectario demum prodit in conſpectum. Filamenta terna, breviſſima ut vix ulla, affiguntur dorſo nectarii interioris ſub ſingulis diviſuris limbi; ubi ſcilicet conſpicitur apex acute trifidus eminentiæ cujusdam ſuperficialis atropurpureæ nitentisque, ortæ ex baſi latiore, & filamentorum connatorum veluti effigiem præbentis. In illius apicis unoquoque fine anthera ſedet flava, transverſim oblonga obtuſa incurvaque, & ſic didyma, ut primo intuitu antheræ ſex congeſtæ credi poſſint. Polline emiſſo confunduntur, & globum pulvereum una formant. Germen ſuperum, oblongum, obtuſum, cylindricum, pallideque virens lineis quinque protuberantibus notatur, has inter ſuperne pilorum ſerie longitudinali & abrupta hiſpidulum. Styli quinque ſubulati erectique columnam mentiuntur ſolidam & quinqueſulcatam. Stigmata ſunt ſimplicia & acuta. Sic florere a Junio ad Octobrim perrexit. Septembri & Octobri plurimos fructus maturos dedit, ſingularis ſane & obſervatu dignæ ſtructuræ. Pedunculus, in flore pendulus, brevi poſt lapſum corollæ

eri-

erigitur, erectusque cum fructu perſtat. Hic toto cœlo differt a fructu Theobromatis Cacao & Guazuma, quas ſtirpes vivas examinare in America ſæpiſſime mihi datum fuit, ut ſolus quantumvis flos conveniat, novum genus poſtulare videatur. Eſt capſula vera, quæ matura longe alienam ab immatura faciem habet. Antequam ſponte dehiſcit, quod in ipſa accidit ſtirpe, cum quadam flavedine viret; ſeſcunciam altitudine circiter æquat; ex ſubovata columna in alas quinque notabiles, obtuſas, ſuperne latiores, & ex duabus lamellis appreſſis compoſitas excurrit; eſtque vere quinquelocularis. Nempe ex pariete quovis columnæ inter alas proximas quasque diſſepimentum porrigitur verſus centrum capſulæ, atque per illud, ſic quintuplex, quina etiam loculamenta efficiuntur. Sed diſſepimenta etiam hæcce conſtant ex duplicata membrana, vel in immaturo etiam fructu, idque una cum toto columnæ pariete externo, facile ſeparabili, ad ipſum vero centrum coalita firmiſſime, non cuncta inter ſe, ſed proxima quælibet diverſorum loculamentorum. Porro in quolibet loculamento inter utraque diſſepimenta, ipſi centro adnatum longitudinaliter, ſpectatur receptaculum ex lamella denticulata duplice & contigua, cui utrinque ſemina, horizontaliter ſibi mutuo impoſita, adhærent. Centrum autem ipſum capſulæ refert cylindrum ſolidum, qui vere compingitur ex numeroſiſſimis ſetis longis papposisque, continua denſaque ſerie a margine interiori diſſepimentorum connatorum exortis. Momenta hæc omnia capſulæ immaturæ transverſim diſſectæ icon adjecta dilucidabit. Matura capſula incipit fuſceſcere; parietes ejus externi ad diſſepimentorum originem dehiſcere; alarum quoque ſummitates a centro verſus exteriora per laminas ſuas nunc ſolutas ſecedere; hinc tota capſula ſuperne aperiri, expandi, atque ſic extrorſum una trahere ſecum partes diſſepimentorum centrales coalitas, quæ propterea nunc utrinque gerunt ſingulæ lamellam alteram receptaculorum vicinorum cum ſeminibus adhærentibus. Secæ etiam nunc liberæ & cineraſcentes extendi quaquaverſum incipiunt, & opplere cavitatem, abſcondereque ſemina. Capſulæ veri parietes interni nigreſcunt, & ob mutatam modo capſulæ figuram, nunc campanulatam, in eadem maculas quinque nigras formant. Sic capſula ex quinqueloculari unilocularis evadit, idque adeo ſine ullo relicto corpore in centro. Semina ſunt ovata, nitida & atra. In tabula ſiſtitur ſummitas plantæ florentis. Tum ad dextrum latus inferne, auctum ad lentem, foliolum nectarii exterioris cum origine abſciſſi petali, interne viſum. Multo magis auctum nectarium interius integrum cum corpuſculis glanduloſis, cum antheris, polline exploſo, nunc capitulum pulverulentum exhibentibus, cumque parte pedunculi. Antheræ congeſtæ tres integræ. Et piſtillum. Siniſtrorſum atque inferne conſpicitur ramuli pars cum capſula nedum rite matura. Supra ſequitur eadem transverſim diſciſſa, ut loculamentorum haberi ratio poſſit. Tandem ad ſummum marginem ſtat capſula matura & ſponte expanſa; & infra hanc ejusdem pars aliqua, oblique conſpecta, ut ſemina appareant. Atque hæc omnia, quæ capſulam ſpectant, in naturali magitudine. Ex taleis facile propagatur.

TABULA SECUNDA.

CAMPANULA GRANDIFLORA.

Ex ſeminibus e Sibiria vel Tartaria adlatis, mecumque ab illuſtri Ignatio a Born ante tres annos communicatis, in horto plures plantæ enatæ fuerunt, quæ primo ætatis anno ſolos cauliculos ſteriles produxere, proximis florigeros. Tota ſtirps glaberrima eſt, nec aſpera. Radix perennis, alba, carnoſa, ſubfuſiformis, digitum craſſa, cruribusque aucta, caules gignit paucos, erectos aut adſcendentes, ſimplices, teretes, pedales, totos folioſos, annuos, flore terminatos unico ſubnutante inodoro & ſpecioſo, quandoque ex alis foliorum ſuperiorum uno inſuper alterove pedunculato donatos. Folia ſunt inordinate ſparſa, ſeſſilia aut breviſſime petiolata, ovata vel ſublanceolata, acuta, argute ſerrata, dorſo pallide virentia, nec ſupra læte, rarius quibusdam in caulibus aut aliqua aut ternata omnia. Calyx quinquefidus habet lacinias ex lanceolato oblongas, ſubacutas, & patentes. Germen inferum, obtuſe ac obſolete angulatum, & longitudine laciniarum calycis, hujus tubum campa-

nula-

nulatum foris mentitur. Corolla valde patet, ampla ut duas vel ultra uncias limbo suo expanso æquet, ex cæruleo saturatissime violacea est cum venis numerosis pure violaceis; ante expansionem eleganter pyriformis, initio viridis, increscens cito volumine & colore. Limbi semiquinquefidi laciniæ sunt semiovatæ acutæ & planæ. Squamæ nectarii ex cæruleo pallent. Antheræ flavent. Stylus violaceus gerit stigma stellare quinquefidum albumque. Capula est ovata, acuta, quinquelocularis, infra calycis lacinias emarcidas coriacea & rugosa, supra has conica glabra & quinquevalvis cum valvulis lanceolatis acuminatis ac patentibus. Dissepimenta mediis valvulis longitudinaliter adnascuntur. Nec hic foramina sunt uti in congeneribus. Semina in quolibet loculamento continentur pauca, oblonga, nitida & nigrescentia. Floret Junio & initio Julii sub dio. Fructus maturescit Augusto. In tabula sistuntur planta florens, flos a tergo visus, idem adhucdum clausus, & caulis fructiger cum foliis ternis.

TABULA TERTIA.

COLUTEA PERENNANS. *Jacq. enum. vindob. pag. 311. Fabric. helm. p. 317.*

Planta specie diversa a Coluteis Linnæanis, & vel primo habitus intuitu dignoscenda, hyemem in tepidario agit, æstatem sub dio, florens Julio & Augusto, semina perficiens Octobri. Tota leviter pubescit. Radix perennis ramosa pallideque fuscescens primo caules anno gignit steriles, altero & subsequis fertiles, plures, erectos magis minusve, teretes, striatos, pallide virentes, herbaceos, annuos, simplicissimos aut ramulis fere sterilibus auctos. Folia dense & sparsim alternantur, patentia, pinnataque ex foliolis cum impari utrinque a sex ad octo ut plurimum, ex ovato oblongis, obtusis, brevissime petiolatis, integerrimis. Racemi ex alis foliorum solitarii oriuntur, simplices, erecti, foliis longiores, modo pauciores, modo duodeni & ultra, qui superiores inferioribus succedunt. Flores parvi & inodori nutant. Calyx foris pubescit. Corollæ carneæ vexillum amplum subrotundum emarginatum & patentissimum strias habet saturate purpureas. Alæ sunt carina breviores, obtusæ & oblongæ. Carina ad apicem atropurpurea adscendit & vexillum longitudine ferme æquat. Stylo glabro stigma est obtusum villisque albis circa solum apicem barbatum. Legumen ex ovato est subrotundum, utrinque acuminatum, compresso-planum, parum inflatum, glabrum, membranaceo-subpellucidum, æquale, nec sponte dehiscens. Semina paucissima, reniformia, compressa, nigra. Africa patria dicitur.

TABULA QUARTA.

AMOMUM CURCUMA.
Curcuma radice longa. *Zanon. hist. p.* 86. *tab.* 59. *& tab.* 14. *f.* 2.
Curcuma domestica major. *Rumph. amb.* 5. *p.* 162. *t.* 67.
Manjella-kua. *Rheed. mal.* 11. *t.* 21. *t.* 11.

Hujusce plantæ egregia, &, si florum structuram excipis, adæquata legi descriptio potest citato loco apud Rumphium, qui patriam illi adsignas Indiæ orientalis insulas Serua & Boero, & qui hanc, non tamen solam, officinalem esse asserit. In caldario per radices quam maxime multiplicatur, quæ Junio mense folia promunt, proximo Decembri deperitura, quando subsequos menses quinque, aut in ipsa terra, aut extra hanc effossæ, quiescunt. In radicum densa congerie quatuor veniunt partes considerandæ. Primo enim tubera adsunt obtusa, ovi gallinæ minoris plus minus volumine & figura, cicatricibus circularibus a prætereitis foliis inæqualia, & foris fusca. Ex his secundo in omnem sensum stolones proferuntur

 digi-

digitiformes, tres quatuorve uncias longi, teretes, ex flavo pallentes, membranulis ad nodos fuscis lacerisque vestiti, ad apicem veluti gemmiferi & hinc per ætatem nova folia, novum tuber, novamque adeo plantam producturi. Atque hi cum tuberibus sive matricibus suis odore gaudent aromatico, sapore aromatico & tandem subacri, colore intus luteo; hoc etiam colore tingunt; sunt carnosi; exsiccati corrugantur multumque diminuuntur volumine; atque tunc talia frusta referunt, quæ in officinis utriusque sub Curcumæ titulo, longæ & rotundæ, asservantur. Tertia radicis pars habetur in fibris crassis, tam intus quam foris albicantibus, sex uncias longis, recta in terram descendentibus, lentum in medio habentibus nervum, cæterum carnosis, ortis ex tuberibus, rarius ex stolonibus, terminatis in finem capitatum & olivæformem. Fibræ radicales aliæ, prioribus similes, sed tenuiores & in acutum, nec capitatum, apicem desinentes, quartam radicum speciem faciunt. Utriusque generis hæ fibrillæ levi dumtaxat odore & sapore pollent. Caulis verus in hac stirpe locum non habet, sed de tuberis extremitate folia enascuntur plura, quorum petioli, a duobus ad quatuor pedes longi, inferne arcte amplectuntur sese, convolutique caulem mentiuntur inferne teretem & superne ancipitem, sæpe sesquipedalem aut altiorem. In planta flores productura caulis hicce turgidior brevi panditur ad semipedalem aut bipedalem distantiam ab origine, ut scapo hic erupturo det locum, qui ex ipso tuberis centro egressus per meditullium foliorum pergit ad usque exitum suum. Costa media in folii dorso admodum protuberat, vix tamen propterea antice sulcus conspicitur, quia tam arcte atque presse margines costæ, vere multumque canaliculatæ, sese mutuo antice contingunt, ut ægre deduci vi queant. Paginæ foliorum sunt anguste ovales, utrinque acuminatæ, facie læte virentes, dorso pallide, utrinque lineatæ & glabræ, plicis adscendentibus & antice parumper protuberantibus rugosæ, ab uno ad tres pedes longæ, ut totum folium sæpe sex pedes superet, & stet erectum. Ipsa etiam folia & scapi odore & sapore non carent omni. Scapus tegitur bracteis, superne dense positis, imbricatis, spicam circiter semipedalem erectamque formantibus, albis simpliciter vel ad apicem simul purpura tinctis, oblongis, obtusis vel acutis, patulis, in una planta semel semireflexis, summis sterilibus, reliquis in sinu suo singulis continentibus flores ternos, successive florentes, subsessiles, tenerrimos, odoratos, & longitudine bracteæ. Unusquisque flos spatha gaudet propria, supera, ovata, albida, subpellucida, emarginata, membranacea & convoluta. Spatha autem floris primo prodituri major & exterior ambit præter hunc etiam reliquos binos una cum spathis suis. Sic non minus spatha secundi floris includit florem tertium spathamque ejus. Corolla est monopetala, ad unam tertiam sexfida, supera & inæqualis. Tubus quasi duplicatus & connatus, longus, a basi ad medietatem usque subcylindricus, hinc ad usque divisionem infundibuliformis & ampliatus, compressus, ex flavo albens, tandem hinc dispescitur in limbum exteriorem & interiorem. Exterior constat ex laciniis tribus, albis, ex lata origine ovatis, concavis, erectiusculis; quarum duæ situ sunt laterales & obtusæ; tertia superior est, & ad apicem acute cucullata. Limbus interior etiam trifidus lacinias habet alternantes cum exterioribus. Earum laterales duæ sunt ferme obverse ovatæ, albidæ, obtusæ cum apice flavo introrsum detruso, interne linea media longitudinaliter prominente notatæ, erectiusculæ. Lacinia inferior maxima ex lata basi in bracteam subrotundam excurrit, obtusam, antrorsum protensam, & albentem cum fascia longitudinali lata crassiore lutea ultra labium protracta bilobaque. Filamentum unicum exoritur inter lacinias laterales limbi interioris corollæ tanquam ejusdem alia quædam lacinia brevior, estque semiovatum, acutum, planum, integrum, erectum, ad apicem reflexum, & ex flavo pallens. Anthera omnino insolitæ est structuræ: nempe extremitati reflexæ filamenti corpus adnascitur, cucullo simile, album, postice rotundatum, antice apertum & quadricornutum cum cornibus superioribus semiovatis acutis brevissimis, cum inferioribus subulatis longisque, in vertice longitudinaliter ad dorsum usque fissum sed tamen contiguum, juxta quam fissuram utrinque adnata in ipsa cuculli cavitate accumbit anthera alba, ad apicem usque cornu superioris excurrens, & versus interiora pollen album explodens. Germen inferum, triquetrum, glabrum, albidumque emittit stylum capillarem, longitudine staminis, stipatum ad exortum duobus corpusculis linearibus erectis brevibus &

ochro-

ochroleucis. Stigma subrotundum capitatumque tam hæret firmiter in fundo cuculli antheriferi, ut extrahi inde, nisi deducantur antheræ, nequeat; interdum ultra dictum cucullum eminet. Auctum ad lentem constare videtur binis lamellis lateralibus, superne coalitis. Fructum maturum non tulit. Floret Septembri & Octobri. Ad latus tabulæ sistuntur inferne spatha a germine avulsa & vi expansa, sine hac flos integer, dein limbi corollæ exterioris lacinia superior cucullata antice conspecta. Super his petalum cum germine, avulso corollæ limbo exteriore, quo interior limbus solus prodeat cum stamine; tum stamen, quod reverendus Matthæus a sancto Josepho ceu caput vaccinum sibi finxit, auctum ad lentem, quando antherarum dorsa etiam observantur. Tandem in summo loco pistillum integrum, & auctum stigma cum styli parte. Kua horti malabarici vol. 11. tab. *7.* videtur ejusdem cum hac generis esse.

TABULA QUINTA.

CARDUUS CHIUS.

Sub titulo Cardui ferocis ex Chio flore rubro semina mihi ante septem annos a clarissimo Marsili, Professore Patavienfi, cui hortus Vindobonensis a pluribus jam annis non paucas raras plantas debet, accepi, quæ primo sationis anno sola folia radicalia produxit, altero & in hunc usque subsequis annuatim florigeros caules. Radix constat plurimis fibris teretibus, pedalibus, simplicibus, calamum tandemque pollicem crassis, fibrillis minutis auctis, foris saturate fuscis striatisque, intus carnosis albidis & ad aëris liberi attactum illico rufescentibus. Caules aut solitarii aut plures humanam altitudinem attingunt, ab imis ad summa ex alis foliorum ramosi, angulati, villosi, inermes, fistulosi, ad basin pollicem crassi, & erecti. Folia sunt ex lanceolato oblonga, facie ferme glabra & saturate virentia, dorso villosula ac pallidiora, nullibi lanata, acuminata & pinnatifida; laciniis lanceolatis, ciliato-spinosis, ferme innocuis; radicalia sesquipedalia, caulina inferiora semidecurrentia, summa semiamplexicaulia aut sessilia. Ramuli terminantur in pedunculos unifloros, folio minimo uno alterove in decursu munitos, infra florem parumper lanatos & cinerascentes, semper erectos. Calycis ovati, nec hirsuti, foliola in dorso gibbum habent oblongum & glutinosum, inque spinam exeunt brevem innocuam & atropurpuream. Corollulæ quinquefidæ & styli eminentes colore gaudent ex carneo purpurascente. Antheræ albent. Semina nitida pappum gerunt plumosum. Pili in receptaculo leviter fuscescunt. Floret Junio & Julio.

TABULA SEXTA.

MESEMBRYANTHEMUM COPTICUM. *Linn. syst pag.* 344.

Ex annua & fibrosa radice caulis exoritur brevissimus, in ramos ita divisus, ut totidem caules esse videantur. Hi teretes & rubentes in omnem patent ambitum, axillares ex foliis caulinis, inferne aphylli ipsi, cæterum foliosi, interdum adultiores dichotomi, caulis vero ipse in florem terminatur. Folia sunt opposita, semiteretia, distincta, sessilia, sublinearia, obtusa vel acuta, succulenta. Flores breviter pedicellati & exigui eriguntur. Calyx quinquefidus foliola habet inæqualia, cæterum foliis fere similia, sed breviora. Petala sunt ovata, erecta, minuta, pallida, plus minus quatuordecim. Filamenta longitudine corollæ gerunt antheras rubras. Styli quinque crassi & hirsuti reflectuntur. Folia, rami & calyces sunt papulosa. Floret sub dio Junio & Augusto. Septembri fructescit. Ad latus sistitur, avulso calyce, flos in nativo statu, idemque auctus.

TABULA SEPTIMA.

MESEMBRYANTHEMUM AITONIS.

Ab egregio expertiſſimoque Gulielmo Aiton, horti regii in Kew cultore, qui ſemina miſit, nomen gratus novæ plantæ impoſui. Sata primo vere plures plantas dederunt, qui ſub dio parum, in caldarium autem translatæ vegetarunt lætiſſime, florueruntque ab initio Octobris ad Decembrem. Ex radice annua truncus brevis erigitur, ferme digitum craſſus minimum, ex quo jam ſupra terram, tum in decurſu, rami egrediuntur oppoſiti, patentiſſimi, obſolete raritérque angulati aut plane teretes, herbacei, virides, inferiores procumbentes & ſeſquipedales. Folia ſunt craſſa, ſucculenta, ovata, in brevem petiolum anguſtata, quandoque ſubſeſſilia, integra, plana, ſubundulata, obtuſa vel magis acuta, ad ramos oppoſita, ad flores ſingularia. Hæc utrinque, tum etiam caules, pedunculi, calyces ac germina minutiſſimis nitidisque obſidentur punctis, quæ ad lentem conſpecta offerunt totidem guttulas exiguas roridas & conſiſtentes. Pedunculi ſolitarii egrediuntur ex dichotomia ramorum (ſi qua adeſt,) & porro in ramulorum progreſſu oppoſitifolii. Calycis virentis & valde pentagoni foliola tria vel ſola duo in bracteam ſpatulatam obtuſam planam & corollæ longitudine excurrunt. Reliqua ſunt parva & acuta. Petala numeroſa, linearia, acuta, inferne pallent, cæterum intus carnei ſunt coloris & foris rubri. Filamenta alba gerunt antheras oblongas & flavas. Styli quinque ſubulati & ſtaminibus longiores eriguntur, ſuperne patentes. Et reliqua ad characterem ſunt. Flos inodorus explicatur circa horam pomeridianam tertiam, clauditurque circa ſextam.

TABULA OCTAVA.

CORYPHA MINOR.

Mentionem hujus elegantis palmæ factam nullibi invenire potui. Floruit prima vice anno ſupra ſeptingenteſimum & milleſimum ſeptuageſimo tertio in horto Cæſareo Schönbrunnenſi, culta ibidem ab ejusdem horti præfecto, Richardo van der Schot, hortulano eximio, & plantarum colendarum cauſa mihi olim in itinere meo Americano comite. Subſequis etiam ſingulis annis flores fructusque maturos dedit, qui, terræ dati, omnes germinarunt. In caldario totum annum habitat, florens Junio, & fructeſcens Novembri. Lentum capit augmentum, ut videre eſt ex trienni plantula, ad latus tabulæ addita, ubi folia plicatilia quidem ſunt, ſed omnia adhucdum ſimplicia. Nec ipſa ſtirps mater, jam a pluribus annis horti incola, augeri admodum viſa fuit. In tabula illa ſiſtitur integra, ſola dempta radice, quæ more plerarumque palmarum conſtat congerie denſa fibrarum craſſarum & albicantium; cum foliis aliis omiſſis, aliis abſciſſis. Conſpicitur autem unum folium, ita truncatum, ut tamen de forma totius facile judicium ſit. Aliud adeſt, primum prodiens, nec evolutum, ſic ſubulatum. Siſtitur etiam primo anno florifera; nam proximis ſpadices plures, iidemque dimidio altiores, & racemuli laterales triplo ampliores fuerunt. Folia ſubradicalia, flabelliformia, palmata, ſubbifida, plicata, glabra, rigida, ſtriata; petiolo inermi, antice canaliculato aut planiuſculo, ſubtus tereti; laciniis enſiformibus & acutis, cum filis quandoque interjectis. Spadix erectus, teres, glaber, & a tribus ad quinque pedes altus, ex axilla folii, nec ex centro ſtirpis, exoritur, veſtiturque ſpathis membranaceis vaginantibus, e quibus, dorſo longitudinaliter ruptis, fere per totum ſpadicis decurſum exeunt racemi paniculati, angulati, glabri, & firmuli. Flores ſeſſiles, inodori, parvi, omnes hermaphroditi, numeroſique gaudent charactere ſequenti. Perianthium triphyllum, exiguum, perſiſtens, albidum, ex foliolis ſubrotundis concavis & obtuſiſſimis. Petala tria oblonga obtuſa concava & decidua albent patentque. Filamenta ſex, ſubulata, craſſa, albaque longi-

tudi

tudinem corollæ præciſe habent; & ex his tria cum petalis alternantur, reliqua petalis ita accumbunt, ut antheræ ultra horum ſummitates ſolæ emergant. Sunt autem hæ ſagittatæ, flavæ, & incumbentes. Germen ſuperum, triquetro-ſubrotundum & palidum deſinit in ſtylum conicum, triſulcatum, erectum, album, ſtaminibus paulo breviorem ac donatum ſtigmate ſimplici & obtuſo. Drupa piſi mole & ſapore dulci ſuccedit, glabra, nigra, parumque ſucculenta. Nux membranacea, tenuis, fragilis, fuſceſcens, drupæque parietibus internis fere adhærens, nucleum continet depreſſo-ſubrotundum, oſſeum, nitidumque. In tabulæ margine exhibentur racemus fructiger, drupa perpendiculariter diſciſſa, nucleus, idemque transverſim ſectus; tum aucta flos & piſtillum.

TABULA NONA.

CHEIRANTHUS HELVETICUS.

Heſperis foliis linearibus, lanceolatis, rariter dentatis; ſiliquis erectis, tetragonis. *Hall. hiſt. helv. num.* 450.

Quot me illuſtris Hallerus hanc plantam a Cheirantho eryſimoide diſtinxit, vere diverſam ſpeciem, utut habitu ſimillimam. Semina helvetica jam ab aliquot annis accepi a reverendo viro Jacobo Dick, unde ſub dio enatæ plantæ fuere, quæ adhucdum vigent, nunc inferne fruticoſæ lignoſæ & ramoſæ, dum tabula repræſentat biennem, primoque florentem. Radix itaque perennat, caudicum craſſa & ſordide albicans. Caulis erigitur, ſubangulatus, ſeſquipedalis, junior ſubvilloſus. Folia ſunt anguſte lanceolata, acuta, craſſiuſcula, ad tactum paulumper ſcabra, ſubſeſſilia, obſolete villoſa, pallide virentia, pleramque integerrima, pauciſſima interdum rariter obiterque dentata. Racemi corymboſi longi & erecti. Flores minores minusque odorati quam in Cheirantho eryſimoide, cæterum forma plane iidem, petalis luteis, calycis foliolis duobus etiam ad baſin gibbis & prominulis. Siliquæ pariter ſimiles ſunt, ad microſcopium villoſulæ, ad cautem ferme parallelæ, tetragonæ, ita ut ſimul tamen ſint valde compreſſæ, includentes ſemina rufa & oblonga. Floret Majo & Junio. Siliquæ matureſcunt Julio. Unicam conſtantiſſimamque reperio notam, qua hunc Cheiranthum diſcerno ab eryſimoide; (nam reliqua diſcrimina, uti ſunt habitus fruticoſior, ſeminum moles duplo major, & ſimilia, ſolam comparationem habentia, minus evidentia ſunt;) nempe ſtylus in eryſimoide plane deſideratur, & ſtigma craſſum immediate germini imponitur. In hoc autem helvetico ſtigma per ſtylum perpetuo intermedium diſtat a germine. Quod diſcrimen in fructu non minus notabile eſt.

TABULA DECIMA.

CAUCALIS PLATYCARPOS. *Linn. ſyſt. pag.* 205.

Caucalis involucri foliolis multifidis, umbella conferta, petalis exterioribus majoribus, longitudine involucri. *Ger. prov. pag.* 238.

Caucalis monſpeliaca echinato magno fructu. *Bauh. pin.* 153.

Echinophora altera aſperior platycarpos. *Col. ecphr.* 1. *p.* 95. *t.* 94

Tota tota odorem dauci quendam habet. Radix annua, tenuiter fuſiformis fibriſque aucta albicat. Caulis vel ipſa ex baſi ramoſus, divaricatus, ſtriato-angulatus, magis minusve aſper, nec tamen hiſpidus, ſemipedalis eſt vel paulo altior. Folia ſunt multiplicato-pinnata, rigidula, craſſiula, ſubtus rariter piloſa; pinnulis acutis, lobatis vel tantum ſerratis; lobulis ipſis vel lanceolatis vel oblongis. Petioli canaliculati, hirſuti & breviter vaginantes. Pedunculi longi, craſſi, ſtriato-angulati & glabri. Involucrum univerſale con-

ftat ex foliolis oblongis, a tribus ad quinque, acutis, concavis, inæqualibus, umbella brevioribus, indivifis in omnibus horti individuis. Partiale fubtriphyllum & fimile. Umbella univerfalis valde contracta componitur ex radiis binis vel ternis, craffis, ftriatis, & tam brevibus, ut umbella tota fimplex effe videatur. Flofculi in qualibet umbellula plufculi & fubfeffiles; pauciffimi exteriores hermaphroditi, reliqui mares; unde fructus in umbella univerfali dumtaxat fuccedunt a tribus ad fex. Petala alba figuram ob apicem inflexum habent obverfe cordatam; exteriora majora in hermaphroditis, in maribus omnia fubæqualia. Filamenta funt petalis breviora. Germen fetis rigidis uncinatis albis & ad apicem rubentibus munitur. Semina fubovata, compreffa, fufcaque, armantur fetarum ad apicem fæpius hamatarum longiorum ordinibus quatuor, tribusque ordinibus interjectorum breviorum. Floret Junio. Julio & initio Augufti femina maturefcunt. Adftant ad tabulæ latus flos hermaphroditus auctus; cum in nativo ftatu femen utrinque confpectum, ejusdemque diffectio tranfverfa

TABULA UNDECIMA.

PANCRATIUM DECLINATUM. *Jacq. hift. amer. pag.* 99.

Bulbus ovata & p[illegible] congenerum habet, foliaque promit plurima, integerrima, acutiufcula, duos tresve pedes longa, & a duabus ad quatuor uncias lata. Scapus foliorum longitudinem æquat, compreffus, anceps, fefunciam latus, viridis, glaber, in principio quidem fubereclus, fed ipfa mox in florefcentia, non quidem ex [illegible]o floris pondere aut ex propria debilitate, fed inflexione quadam firma, totus verfus terram declinatus dejectusque. Flores valde fuaveolentes, de vanillæ odore multum fpirantes, plus minus decem feffiles & aggregati ex ejusdem extremitate fcapi, fpatha membranacea varie difrupta, oriuntur, non cuncti una, fed pauci fibi mutuo fuccedentes, ut ultra menfem idem fcapus floriger perfiftat. Tota corolla, fi erigerentur laciniæ, a quatuor ad fex uncias foret longa, inque lacinias dividitur lineares, ad apicem callofas, magis minufve canaliculatas, albas, reflexo-patentes, & tubo fubvirente femper longiores. Nectarium vix unciale albet, inter filamenta fuperne virentia petaloque ut plurimum breviora elevatum in denticulum acutum. Antheræ flavæ poft pollinis dimiffionem in altera extremitate evadunt bifidæ. Stylus inferne albus & fuperne virens longitudine petali gaudet. Capfula congenerum, magnitudine fere nucis juglandis. In Martinicæ hortis cultum vidi, fylveftre nufpiam. Inde in Europam a me transmiffi bulbi, in caldariis læte vegetarunt, & indies multiplicantur, vario anni tempore florentes. In tabula, præter fcapum foliique portionem parvam in naturali magnitudine, repræfentatur etiam tota planta in minimam effigiem contracta.

TABULA DUODECIMA.

CYPERUS COMPRESSUS *Linn. fyft. pag.* 81.

Cyperus rotundus gramineus fere inodorus, panicula fparfa compreffa viridi. *Sloan. hift. jam.* 1. *pag.* 117. *tab.* 76. *fig.* 1. *Ray. fuppl.* 623.

Planta tota inodora, glabra & fere infipida radici infiftit perenni, compofitæ ex congerie tuberculorum connatorum, foris nigricantium, intus albidorum, fibris fufcis rubelisque copiofe jubatorum, fubrotundorumque cum vertice præmorfo ob culmi præteriti foliorumque cicatricem; nam dicta tubercula funt pars infima bulbiofa culmorum, fenectute fic mutata, ipfa haud denuo culmos productura, fed ad quorum latera novi culmi five plantæ ce-

cespitose quotannis prodeunt. Culmus ad unum vel duos pedes erigitur, triquetrus, nudus, & proprie aphyllus, quum folia omnia ex ipsa ducant ortum radice, etiamsi interiora satis alte culmum vagina sua involvant, ut quis caulina credere posset. Sunt autem folia culmi longitudine, angusta, acuta, canaliculata, integerrima; ob minutissimos aculeos, ad solam conspicuos lentem, cum ad nervum dorsalem, tum ad summas oras, retrorsum scabra. Involucri polyphylli foliola sunt foliis radicalibus similia, exteriora longissima, intima brevissima. Umbella communis componitur ex capitulis spicularum aggregatarum sessilium que pluribus, quorum alia sessilia sunt, alia pedunculo minus magisve longo instruuntur. Ipsæ autem spiculæ ovatæ virescunt, & generis completo charactere gaudent. Semina parva & fusca maturescunt in caldario Decembri, dum floret quotannis ab Augusto ad Januarium. Accepi semina ex India Orientali. Crescit etiam in Caribæis insulis. Spicula aucta ad latus additur.

TABULA DECIMA TERTIA.

AMARYLLIS UNDULATA. *Linn. syst. pag* 237.

Bulbus ex subrotundo ovatus, intus albus, foris fuscus, ex squamis dense conjungitur. Folia radicalia, pauca, linearia, obtusiuscula, integerrima, glabra & erectiuscula sunt. Extra hæc ad latus bulbi scapus attollitur, obsoletus & obtuse anceps, & foliorum longitudine. Spathæ diphyllæ foliola sunt oblonga, striata, integerrima, foris purpurea, intus carnea, subpellucida, erectaque. Pedunculi circiter duodecim & umbellati successive exeunt, graciles, patuli, uniflori; quibus intermiscentur fila capillaria rosea. Germen atrovirens & rotundato-triquetrum nitet. Petala sunt angusta, canaliculata, acuminata, crispato-& denticulato-undulata, patentia, coloris rosei, ad ipsam basin planiuscula & paulo latiora; quorum infimum a proximis magis distat. Filamenta versus petalum inferius omnia declinantur, inæqualiter elongata, subulata, & corollæ concoloria. Antheræ ex purpureo badiæ & incumbentes. Stylus staminibus triplo brevior & filiformis stigma habet simplex. Flores inodoros explicat a Novembri ad ineuntem Januarium usque, dum bulbos, ex Promontorio bonæ spei acceptos, terræ sub dio commisi, solo vitro simoque tectos. Fructum nondum tulit.

TABULA DECIMA QUARTA.

HIBISCUS PHOENICEUS

Elegantis plantæ femina, in America torrida lecta, mecum attuli inde redux, a quo tempore læte in caldariis Viennensibus viguit. Frutex ex radice ramosa caulem promit erectum, teretem, lignosum, calami & majore crassitie, leucophæum, juniorem virentem, glabrum, a tribus ad sex pedes altum, lentum, tandem ex longitudine debilem. Rami virgati, teretes, virides, vix notabili asperitate donantur. Folia ex basi ovata paulatim angustantur in acutum finem, serrata, utrinque parum aspera, fere horizontalia, modo integra, modo inæqualiter magis minusve manifeste versus inferiora triloba. Petiolus paulo infra basin fulti geniculate adscendit. Pedunculi uniflori, axillares, solitarii, foliorum ad minus longitudine, patuli, & supra geniculum incrassati, florem sustentant inodorum. Calyx exterior circiter enneaphyllus & patentissimus foliola habet subulata acuta & aspera. Calycis interioris asperiusculi & quinquefidi laciniæ lanceolato-acuminatæ & patentissimæ ultra medium sunt dissectæ. Corollæ planissimæ, calycem superantis, & phœniceæ petala sunt obverse ovata, obtusa, patentissima. Staminum vagina connata declinatur tota quanta supra petalum inferius, extremitates autem liberæ adscendunt. Antheræ aurantiacæ sunt. Stylus cum stigmate

quinquefido & filamenta colorem petali habent. Capsula aspera, quinquelocularis & quinquevalvis includit semina plurima, nigricantia, totaque villis lanatis longis & canescentibus obducta. Floret fere integram annum.

TABULA DECIMA QUINTA.

CELOSIA TRIGYNA. *Linn. mant. pag.* 212.

Jam a tredecim annis colitur hæc planta in horti nostri caldariis, cui Africanam Senegalliam Linnæus patriam adsignat, ex seminibus primo vere satis enata florere pergens ab Augusto ad Februarium usque, quando marcescere ac interire suevit, rarius in alterum persistens annum. Tota glaberrima est. Caulis a tribus ad quinque pedes altus erigitur, superne debilis, angulatus, fungosus, viridis, auctusque ramis virgatis longis & adscendentibus. Folia alternantur, petiolata, ovata vel lanceolata, acuta, integra, patula, & subtus per venas primarias eminentes lineata. Stipulæ geminæ, falcatæ, acutæ, sessiles, foliisque cæterum similes, caulem ramosque amplectuntur, opposito foliis situ convergentes horizontaliter. Caulis, rami ramulique terminantur in racemos laxos aphyllos longosque, quos flores occupant in capitula parva subpedunculata congesti. Quibuslibet floribus bractea subjacet scariosa perianthioque similis, at brevior. Flores sibi mutuo succedunt, junioresque, tenues ad modum & alis jam expansis appressi, calycem mentiuntur, quem detegere nullum verum potui. Petala quinque, scariosa, argenteo-alba vel carnea, ovata, acuta, & patentissima persistunt, in fructu conniventia. Filamenta purpurascunt, orta ex basi lata, petalis breviora & patula. Antheræ incumbentes flavent. Germen subrotundum desinit in stylum erectum, stigmate trifido terminatum. Capsula circumscissa continet semina circiter octo, atra, nitidissima, reniformia & compressa. Ad latus flos & pistillum sistuntur aucta.

TABULA DECIMA SEXTA.

CAUCALIS HELVETICA

Caucalis foliis duplicato-pinnatis, pinnulis longe confluentibus. *Hall. hist. helv. num.* 742.

Ab beato amicissimo Jacobo Dick semina hujus plantæ sub Halleri nomine titulo ex Helvetia accepi, quam omnino bene illustris Hallerus a Caucalide sua præcedente num. 741, quæ Tordylium Anthriscus Linnæi est, specie separavit, affinissimam tamen plantam. Semina autumno sata intra breve tempus germinant, proximo anno caulem florentem productura. Primo vere terræ commissa, vix eodem anno flores dabunt; ut planta sit fere biennis, nam post fructus maturitatem perit. Radix teres & tres aut plures uncias longa albet. Caulis teres, lineatus, medulla farctus, inferne glaber, superne asper, erigitur in culta planta, sed simul per totam longitudinem ramis oneratur patentissimis, ut diffusus hinc illi habitus concilietur; ipse autem attollitur ad sesquipedalem & majorem altitudinem, ubi missa Helvetica sicca specimina plantas magis humiles obtulerunt. Rami scabri terminantur in umbellas. Folia sunt bipinnata, subaspera, saturate virentia, orta ex petiolis membranaceis canaliculatis. Pinnulæ sunt pinnatifidæ, acutæ, satis æqualiter incisæ in lobulos lanceolatos & acutos, superiorum foliorum extremæ valde elongatæ. Umbellæ planæ fiunt ex radiis a quatuor ad decem scabris. Involucrum universale adest plerumque nullum, aut rarius unifolium. Particulare habet foliola subulata a tribus ad quinque. Petala ut plurimum alba, quandoque carnea, sunt ob apicem valde inflexum cordata, patentia, in floribus extimis extima paulo ampliora. Antheræ flavent. Germen hirtum est. Fructus ante matu-

[illegible]natum fuscescit; maturus cinereus dispescitur in bina semina ovata, hinc gibba, inde concava, & pilis hamosis hispida. Floret Junio & Julio. Semina maturescunt Augusto. In latere tabulæ habetur auctus flos; tum semen in naturali magnitudine; auctumque idem transverse sectum.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

SISON AMOMUM. *Linn. syst. pag.* 212. *Huds. angl. p.* 104.
[illegible]on, quod Amomum officinis nostris. *Bauh. pin.* 154.
Petroselinum macedonicum Fuchsii. *Dod. pempt.* 5. *l.* 4. *c.* 4.

P[illegible] biennis, primo anno folia radicalia, eaque copiosa gignit, quæ sunt [illegible]pinnata, petiolata, glabraque, foliolis utrinque fere quaternis, ovato-lanceolatis, obtusis, serratis, interne sæpius subtrilobis, sublessilibus, cum impari terminante, magis minusve profunde in tres lobos secto. Altero anno ex radice calamum crassa, albida, subfusiformi, ramosula, & sapore apii prædita, caulem attollit bipedalem, firmum, solitarium, teretem, glabrum, subtiliter striatum, medulla nivea valde farctum, calamo fere graciliorem, & ad omnia genicula ex brevibus subdivisis patulisque ramis in numerosas umbellas fœtum. Folia caulina infima sunt radicalibus similia; summa & ramea sunt subbiternato-multifida ex laciniis angustis, acutis, linearibus vel oblongis. Involucrum utrumque constituitur ex foliolis subulatis brevibus ac paucis totidem, quot sunt utrobique radii exteriores, qui in umbella universali sunt a tribus ad quinque cum centrali unico, in particulari a duobus ad quinque cum centrali etiam solitario. Floribus parvis & inodoris petala sunt alba, ob apicem inflexum cordata, & subæqualia. Filamenta pallida, patentia, & corollam æquantia. Antheræ flavescentes. Semina duo, parva, ovata, glabra, subacuta, nigrescentia, hinc plana, inde gibba cum extantibus tribus lineolis, vix acria, odoris & saporis aromatici. Floret Augusto & Septembri. Octobri semina maturescunt. Ad latus sistuntur folium radicale, semen in magnitudine naturali; tum aucta flos, semen utrinque [illegible]

TABULA DECIMA OCTAVA.

LIGUSTICUM PEREGRINUM. *Linn. syst. pag.* 211.
[illegible] perenne [illegible] *Bauh. pin.* 153.
A[illegible] hortense [illegible], Petroselini [illegible] *Bauh. hist. 3. part. 2. pag.* 99.

P[illegible]s planta cum Apio Petroselino conveniens odore sapore & statura. Radix fusiformis, & [illegible]. Folia radicalia sunt bipinnata, & uti tota planta, glaberrima; costa solida, [illegible] angulata, supra parumper sulcata; foliolis subtriangularibus, inæqualiter serrato-[illegible] sæpe trilobis, quam in Petroselino crassioribus & firmioribus. Possent etiam folia [illegible] biternata. Caulina similia, superiora successive minus divisa, magisque acuta; summorum laciniis anguste lanceolatis. Caulis erectus, plus minus sesquipedalis, inferne teres, cæterum angulatus, nudus, ex omnibus foliorum alis ramosus. Umbellæ erectæ, convexæ & densiusculæ involucrum habent universale ex foliolis fere quinis, subulatis, supra [illegible], virentibus, inæqualibus & patentissimis. Partiale simile umbellulas æquat. Petala [illegible]ceolata, patentissima cum attenuato apice inflexo, cum virore flavent. Filamenta pallida [illegible] superant. Antheræ & germinis vertex flavent. Flores in centro aliqui nonnunquam germine carent, hinc steriles. Semina sunt ovata; hinc plana; illinc gibba, [illegible] striata cum quatuor striis rotundatis, tribus reliquis alternantibus angustioribus; sapo-

ris tandem fervidi. Floret Junio, semina dans Augusto. In tabulæ margine habentur flos auctus, fructus in naturali magnitudine, & aucti seminis sectio transversa.

TABULA DECIMA NONA.

ERIGERON ÆGYPTIACUM. *Linn. syst. pag.* 549.
Conyza capitata seu globosa. *Bocc. sic. p.* 13. *t.* 7. *f.* 8. *Moris. hist. p.* 114. *f.* 7. *t.* 20. *f.* 14
Jacobæa ægyptia, folio glauco coronopi. *Boerh. ind. alt.* 1. *pag.* 99.

Sapor plantæ acris est, & odor vix ullus. Radix annua fibrosa & albida caulem profert erectum, a duobus ad tres pedes altum, ex foliorum alis ramosum, fistulosum, striatum, hirsutum, teretem, virentem. Folia sunt spathulata vel oblonga, rariter dentato-serrata, utrinque villosa, mollia, inferiora obtusa, summa acuta, subtus nervo venisque primariis excurrentibus notata, alterna, semiamplexicaulia. Pedunculi uniflori, alii terminales, alii in extremis foliis axillares, flores gerunt fere subrotundos. Calycis squamæ corolla dimidio breviores, lineares, ejusdem longitudinis, villosæ. Fæminei flosculi imprimis circumferentiam occupant, cum intermixti quoque hermaphroditi inveniuntur. His gracillimis corollæ loco est vagina solummodo quædam alba brevisque, styli inferiorem partem arcte ambiens. Hermaphroditus autem est corolla tubulosa flava, in limbum campanulatum quinquedentatum patentemque expansa. Stylus [illegible] & [illegible] flavescit. Semina oblonga, minuta & glabra coronantur pappo piloso & sessili. [illegible]dio, [illegible] in caldario, mense Julio, eodemque jam mense & subsequo semina perficit. Nunquid Baccharis convenientius diceretur?

TABULA VIGESIMA.

MORÆA FUGAX.
Vieusseuxia fugax. *De la Roche. spec. pag.* 33. *num.* 3.
Iris imberbis; caule multifloro, folio unico, lineari, ex summo caule orto. *Van Hazen [illegible] p.* 67.

Tota glabra est. Bulbus subrotundus, ex rufo cinereoque striatus, tunicatus, quum exterior squama integra sub forma tunicæ fibrosæ sicco sive secedat, paucæque similes squamæ, corticis speciem exhibentes, nucleum includunt carnosum, solidum, facile separabilem, saporisque farinosi & dulcis. Sub bulbo orbiculus visitur fungosus, forte bulbus contractus anni præteriti. Caulis gracilis, ab unica uncia ad pedem altus, teres, ortus ex latere bulbi, firmus, erectus, si autem longior est, a pondere florum fructuumque ad terram inclinatus, aphyllus, duobus plerumque foliis & pedunculo commum brevi & multifloro uno alterove terminatus. Folia illa sunt sublinearia, plana, facie nitida, dorso tenuiter striata & glauca, acuta, alterum pedale vel bipedale, alterum multo brevius citoque marcescens, tota brevi ita involuta, ut dorsum disparcat, referantque hinc nitidum teretemque juncum. Spathæ floribus singulis subjiciuntur solitariæ vel plures membranaceæ, univalves, acuminatæ, amplexantes. Flores a tribus ad duodecim suaveolentes sibi mutuo succedunt, ut raro in eodem caule, uno plures, expandantur. Hic mane prorumpit, cito increscit, evolvitur post meridiem, & ante vesperam concidit. Germen est obtuse trigonum & trisulcatum. Petala ex carneo purpurea, integra, omnia patentissima, acutiuscula; tria alterna gerentia fasciam longitudinalem mediam, a basi ad duas tertias petali partes protractam, luteam, ad apicemque albam, & reliquis tribus latiora longioraque. Stigmata, tria

in

in Iride, corollæ concoloria, bifida & acuta. Antheræ cærulescunt. Pollen album. Capsula oblonga, obtuse triangularis, trisulcata, trivalvis, ab apice dehiscens, continet semina numerosa & angulata. Floret sub dio, per hyemem fimo tecta, a fine Maji ad finem Julii. Semina Augusto maturescunt. In tabula exhibetur plantula minor bibulbosa; tum majoris plantæ caulis fructiger; dein semen, bulbus cum caulis intima parte dissectus; & folii pars dorsalis ante convolutionem utrinque conspecta.

TABULA VIGESIMA PRIMA.

ASPERUGO ÆGYPTIACA. *Linn. syst. pag.* 148.

Radix annua, teres, & caule non crassior, rufescit. Caulis semipedalis vel altior, ex ipsa jam origine ramosus, divaricatus, interne teres, cæterum obscure angulatus. Folia sunt lanceolata, subdentata, crassula, alterna, rigidula, infima obtusa & subpetiolata, summa sessilia & acuta, utrinque & ad oras admodum hispida, pilis fere pungentibus & ex gibbulo albido ortis. Flores inodori, secundi, & crasse pedunculati successive in productis ramis prodeunt, solitarii ad foliorum latus, rarius axillares. Perianthium hispidum ad basin fere dividitur in lacinias lanceolato-lineares erectasque. Petali ochroleuci tubus rectus & cylindricus est; squamæ faucis luteæ. Filamenta locantur supra basin tubi corollæ. Antheræ nigrescunt. Semina nigra, rugosa, oblique acuta, subtus concava. Floret sub dio a Junio ad Augustum.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

JUSTICIA MARTINICENSIS. *Jacq. hist. amer. pag.* 5. *t.* 2. *f.* 3.

Solam florem foliumque delineavi in historia stirpium Americanarum, quæ cum non videantur sufficisse illustri Linnæo, descriptioni addita, ut plantam ceu novam agnosceret, inscereretque suis, propterea integri figuram cautius depicti hic propono, ex viva olim sylvestri planta desumptam, nam semina in horto non germinarant. Si quidem antheræ geminæ in eodem filamento hærentes tanti esse momenti possint, ut genere sejungant ipso plantam sola unica anthera in quolibet filamento donatam, quantumvis cæterum ambæ conveniant habitu non modo, sed toto flore & fructu, omnino hæc Justiciæ species cum pluribus aliis ejusdem mei operis ad Linnæi Diantheram est amandanda. Repetam, quæ olim dixi, quandoquidem in planta abhinc non examinata, quod addam, non habeo. Planta geniculata, adscendens, ramosa, bipedalis, mihi visa annua. Caules glabri, obsolete sexangulati. Folia ovata, acuminata, integra, glabra, opposita, in petiolum tenuem attenuata, infima quinquepollicaria. Pedunculi axillares, trifidi, triflori, breves, oppositi. Bracteæ ovatæ, acuminatæ, concavæ, integerrimæ, glabræ, sessiles, oppositæ; superiore minore. Flores inodori. Calyx brevissimus, quinquepartitus, persistens, acuminatus, erectus. Corollæ rubentis atque ringentis tubus est tenuis, longus & incurvus. Limbi hinc inversi labium superius oblongo-ovatum, concavum, obtusum, sæpius integerrimum, longitudine tubi, situ inferius. Labium inferius oblongum, obtusum, leviter tridentatum, revolutum, ejusdem longitudinis, situque superius. Stamina, ut in Dianthera Linnæi. Stigma subbifidum. Capsula glabra, qualis in Justicia Linnæi, semina continens in quolibet loculamento bina. Crescit in Martinica ad sepes arboreas & ad margines sylvarum.

TABULA VIGESIMA TERTIA.

CARDUUS LEUCOGRAPHUS. *Linn. syst. pag.* 529.
Carduus leucographus seu Mariæ hirsutus, capitulo minore. *Morist. blæs.* 244.
Cirsium maculis argenteis notatum. *Tourn. inst. p.* 448.

Radix [illegible], ex [illegible] pallens, tenuiter fusiformis, fibris capillata, caulem promit tripe[illegible], erectum, ramosum, striatum, [illegible]sutum, angulatum, medulla alba farctum. Folia [illegible] pinnatifida, acuta, rugosa, mollia, per caulem magis minusve decurrentia, [illegible] albidis notata, ad oras spinulosa & pungentia, in prona parte ferme glabra, [illegible] subarachnoideo-lanata. Rami producuntur in pedunculos longos, lanatos, incanos, unifloros, erectos, & squamis foliosis rariter vestitos. Flores etiam eriguntur. Calycis arachnoidea lana obducti squamæ sunt spinulosæ, parum tamen pungentes, erectæ & [illegible]. Corollæ ex purpureo cæruleæ. Semina nitida & straminei coloris gerunt pappum pilosum & simplicem. Floret æstate.

TABULA VIGESIMA QUARTA.

ANGELICA LUCIDA. *Linn. syst. p.* [illegible] 211
A[illegible] *Corn. can. p* 196 *Moris* [illegible] 3. *p* 281. *f* 9 *t.* 3. *f* 8.

Tota [illegible] Radix [illegible], & [illegible] quodam Apii & aromatico simul ac fervido, altero vel tertio demum anno caulem producit, & post fructus peractos perit. Caulis pedalis vel duplo altior, digitum ad minus crassus, teres, modo rectior, modo flexuosus, ramosus, nitidus, [illegible], & [illegible] superne striatus, folia gerit bipinnata, orta ex vagina ampla virente & striata. Radicalia, quæ in planta florente ut plurimum emarcuerant, sunt tripinnata. Foliola sunt lanceolata vel ovata, serrata, acutiuscu[illegible] & atrovirentia, subtus nitida; extimo cum proximo pari confluente. Umbellæ ac umbellulæ convexæ & densæ. Radii striati. Involucrum universale fit ex foliolis plus minus quinis, anguste lanceolatis, & mucronatis. Particularis foliola sunt fere tot, quot sunt radii umbellulæ exteriores, subulata & acuminata. Petala æqualia, patentissima, & ovata [illegible] coronam ad [illegible] superant. Antheræ [illegible] flavescunt. Germinis vertex saturate viret. Styli albent. Semina fusca, comp[illegible], hinc plana, illinc tribus striis elevatis ferme parallelis notata, ad oras in alam membranaceam excurrentia, saporis aromatici fervidi, odoris pauci. Floret sub dio Junio. Semina fert Augusto. Ad latus adstat semen utrinque conspectum ex majusculis, nam sæpe minus est; tum aucta flos & seminis transversa sectio

TABULA VIGESIMA QUINTA.

SCANDIX NODOSA. *Linn. syst. pag.* 214.
Cerefolium annuum nodosum, semine aspero majore. *Moris. hist.* 3. *p.* 303. *f.* 9. *t.* 10 *f.* 4.
Myrrhis nodosa annua, semine aspero. *Moris. blæs. p.* 288.

Ex radice annua, [illegible] crassi, ramosa & albida caulis assurgit sesqu[illegible]pedalis, ramosus, teres, lineatus, fistulosus, pilis sparsis reflexisque hispidus, firmus, infra ramorum exortum tumidus. Folia sunt subtriplicato-pinnata, tota ad lentem pilosula; costa sulcata, sca-

scabra, striata, & ad basin vaginante; foliolis inciso-serratis, etiam pinnatifide lobatis, obtusis, circumscriptione ovatis vel lanceolatis, extimis confluentibus. Umbellæ erectæ, ex radiis paucis, plerumque ternis, scabris, involucro nullo vel unifolio fultis. Umbellulæ a quinque ad decem flores habent, & foliola involucri circiter quina, reflexa, & lanceolato-acuminata. Petala alba, æqualia, patentissima, obverse ovata, & emarginata. Flores omnes fertiles sunt. Fructus subulatus separatur in semina hinc sulcata, inde teretia & hispida, acuta, fusca. Floret Majo. Julio fert semina. Ad latus conspicitur semen, & aucti seminis sectio transversa.

TABULA VIGESIMA SEXTA.

DAUCUS VISNAGA. *Linn. Sp. p.* 206.
Gingidium umbella oblonga. *Boerh. p.* 151.
Gingidium alterum. *Dod. pempt.* 5. l. 4. c. 12.
Visnaga. *Matth. in Diosc. pag.* 525.

Planta nitida tota, annua, erecta, superne ramosa, fere insipida & duos tresve pedes alta radice infixa tereti, semipedali, calamum crassa, albidæ & sapore quodam apii prædatæ. Caulis teres, lineatus, viridis, medullam albam mollemque habet. Folia ex vagina striata oriuntur multiplicato-pinnata; costis sulcatis, & foliolis linearibus, acutis, ad lentem breviter & ex albo mucronatis propterque nervum profundum sulcatis. Involucrum universale polyphyllum, longitudine umbellæ; foliolis multifidis, linearibus, planis, acuminatis. Umbella convexa, densissima, ex radiis numerosissimis angulatis & ex communi receptaculo hemisphærico, in quod pedunculi summitas incrassatur, egressis. Involucri partialis foliola plus minus decem, subulata, acuta, patentissima, simplicissima, exteriora longiora. Flosculi hermaphroditi, parumper odorati. Petala alba, subæqualia, ob apicem inflexum oblique cordata, patentia. Antheræ pallidæ. Radii in fructu eriguntur. Semina pusilla, ovata, hinc plana, illinc gibba & striata, glabra, saporis amaricantis, nec grati. Floret sub dio Julio & Augusto. Semina fert sub hujus finem. In tabulæ margine semen est utrinque visum; tum aucta flos, semen, idemque transversim sectum.

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

CUCUMIS PICTUS.

Adeo ipsa planta, folia floresque Meloni similia sunt, ut descriptione supersedeam. Fructus diversitatem habet. Ille est obverse ovatus, obtusissimus, nitidus, glaber, nullis striis aut asperitatibus inæqualis, coloris aurantiaci maculisque punctatis saturate virentibus elegantissime variegatus. Caro ejus est alba, versus oras paulo flavescentior, fatui cucumerini saporis, solidatur vel ad ipsum usque centrum, quod in tres lobos cordiformes excurrit, quorum lateribus semina affiguntur pedicellata, & quorum obscura delineatio in transversim secto fructu apparet. Ex India orientali semina adlata fuerunt. Per tres annos in horto perstitit. Quarto anno fructus maturos non dedit. Ex dissecto fructu guttæ gummosæ sudant.

TABULA VIGESIMA OCTAVA.

ORNITHOGALUM THYRSOIDES.

Ornithogalum arabicum Linnæi habui in horto, quocum quadrare vidi icones & descriptiones Clusianam, Renealmianam, Besleranamque, a clarissimo Linnæo in synonymia plantæ suæ adductas. Hæc autem mea planta, cujus bulbum ex Promontorio Bonæ Spei accepi, & cujus numerosa specimina quotannis florentia conspicio, multis notabilibus momentis sic differt a priore, ut ceu novam speciem proponere debuerim. Tota glabra est. Bulbus albidus, ex squamis dense compactus, depressus, fibris ad basin jubatus, folia emittit plura, elongato-lanceolata, acuta, lineata, crassiuscula, debilia, inferne carinata, superne magis plana, longiora pedalia, latiora duarum unciarum. Scapus pedalis, calami vel duplo majore crassitie, teres vel obsolete angulatus, suberectus, & rore glauco tectus, abit in racemum erectum, semipedalem vel breviorem, densum, thyrsiformem, elegantem. Bracteæ ad pedunculos lanceolatæ, horum longitudine, in acumen setaceum desinentes, membranaceæ, aridæ, sessiles, nec cordatæ & amplexicaules, ut in Ornithogalo arabico. Pedunculi plus minus unciales teretesque, cum in flore, cum in fructu eriguntur. Floribus subodoratis petala sunt patula, nivea cum macula ad basin ex flavo fuscescente, alterna interiora pauxillo (nec semper) exterioribus angustiora, in fructu connivent & marcescunt. Germen ex nigro virescit. Stylus flavescit. Filamenta albent, petalis duplo breviora, alterna tria subulata & patentia; alia tria erecta, inferne dilatato-subovata, concava, & bidentata. Antheræ oblongæ & ochroleucæ continent pollen flavum. Maturum fructum nedum dedit. Floret Majo, sub dio, in loco, qui tegi per hyemem potest.

TABULA VIGESIMA NONA.

ORNITHOGALUM LONGIBRACTEATUM.

Etiam hujus Ornithogali bulbum accepi, allatum ex Capite Bonæ Spei. Si figura Besleri, a Linnæo laudata pro Ornithogalo pyramidali, bracteas haberet similes foliaque latiora, haud separassem. Bulbus ovatus, albidus, ex squamis dense compactis, ovi mole. Folia sesquipedem longa, lata sesquunciam, nitida, acuta, læte virentia, erecto-patula, crassiuscula, plura. Scapus teres, digitum crassus, bipedalis, erectus, glaber, desinit in racemum densum conicum, qui paulatim solvitur, mutaturque tandem in racemum laxum cylindricum & ferme pedalem. Bracteæ ad pedunculos omnes laxæ, pallide virentes, subulatæ, inferiores quatuor uncias longæ, superiores successive breviores, [illegible] gemmis [illegible] in racemo conico extantes. Pedunculi numerosi, biunciales, patentissimi in flore, [illegible] erecti. Flores inodori habent petala ovalia, alba, extus linea media virente picta, obtusiuscula, tota patentissima. Filamenta omnia æqualia, simplicia, subulata, inferne compressa & latiora, patula, petalis breviora, alba. Antheræ oblongæ flavæ & incumbentes. Pistillum viret. Fructum non dedit. Colitur & floret cum priore.

TABULA TRIGESIMA.

SIDERITIS CANARIENSIS. *Linn. syst. pag.* 391.
Stachys amplissimis verbasci foliis, floribus albis parvis non galeatis, spica betonicæ. *Pluk. alm.* 356. *tab.* 322. *fig.* 4.

Altero post sationem anno floruit, hyeme transacta in tepidario, sempervirens, caule tunc sesquipedali, & incipiente demum ex foliorum alis ramos emittere, perennis & fruticosa planta. Tota odore, mihi non grato, pollet. Caulis, imprimis junior, petioli, & folia utrinque, denso albidoque tomento vestiuntur. Caulis teres, supra folia tetragonus, debiliter erectus, inferne cicatricibus a foliis delapsis notatur. Sunt hæc opposita, longe pe-

petiolata, ex basi cordata oblonga, acuminata, crenata, subtus magis incana venisque eminentibus reticulata. Spicæ terminales, vario modo nutantes aut tortæ, aut in supremo sola parte, componuntur ex verticillis distantibus, densis, multifloris, plus minus novem. Bracteæ oppositæ ad quemlibet verticillum, foliis sunt similes, parvæ, sessiles. Adest præterea involucrum polyphyllum, setaceum, hirsutum, & breve. Perianthium hirsutum viret. Petali albi & foris ad lentem pilosi limbus patentissimus habet labium superius subrotundum, integerrimum, latissimum; & labii inferioris semitrilobi, ad oras fusci, & gerentis in disco gibbos duos albos villososque, lacinias subrotundas. Ad latus utrinque inter duos gibbos est appendicula totum occupans latus. Filamenta alba & hirsuta gerunt antheras flavas, longiora simplices, breviora didymas Stigma & reliqua sunt, ut in genere Linnæano. Floret Majo & Junio. Sistitur etiam seorsim corolla, semen, & auctus corollæ limbus.

TABULA TRIGESIMA PRIMA.

RANUNCULUS RUTHENICUS

Ranunculus repens, flore in caule singulari, foliis varie sectis. *Amm. ruth. p.* 81. *t.* 13 *f.* 2.

Tota planta glabra est. Sub dio sata, bene vegetat, tertioque demum anni mensibus Majo & Junio flores, sub Julii finem matura semina dedit. Radix perennis constat fasciculo fibrarum crassarum & sordide albentium, acri sapore præditarum, qui minus, sæpe vix, percipitur in foliis. Inde folia exoriuntur plurima, petiolata, utrinque nitida, crassula, firma, simplicia, ovata, obtusa, ad apicem paucidentata, quædam rarius integerrima. Supra tellurem radix stolones quaquaversum spargit, virentes, teretes vel compressos, bipedales tandem, qui ex geniculis hinc radiculas terræ infigunt, inde folia nova producunt. Pedunculi radicales, sive scapi, aut unicum, aut ramose duos tresve flores sustentant, totidem bracteis instructi, foliis fere longiores, debiles, adscendentes. Calyx est pentaphyllus ex foliolis valde concavis, ovatis, obtusis, pallidis, patentissimis & deciduis. Petala calycem superant, lutea, circiter decem, patentissima, ex origine acuta desinentia in figuram obverse ovatam. Stamina tota lutea sunt. Germina virent. Fructus ratione floris magnus fit ex seminibus numerosis, glabris, subovatis, mucronatis; interdum difformis & compressus, uti in icone laterali.

TABULA TRIGESIMA SECUNDA.

SILENE ATOCION. *Juss. in Demonstr. bot. Reg. Paris.*

Atocion. *Adans. fam.* 2. *pag.* 254.

Lychnis Græca, bellidis folio, verna, flore parvo dilute purpurascente. *Tourn. cor.* 24.

Radix annua caulem profert unicum jam ex ipsa basi ramosum, adscendentem, teretem, vix pedalem, totius adinstar plantæ viscoso-villosulum. Folia sibi opponuntur, integerrima, obtusa, firmula, superiora sessilia & obverse ovata, inferiora petiolata, magisque subrotunda. Caulis & rami terminantur in fasciculum multiflorum dichotomum. Flores ex propriis brevibusque pedunculis eriguntur. Calyx etiam villosus est, & ad apicem quinquedenticulis acutis inciditur. Petala rosea, semibiloba, obtusa, planaque, ad latus utrinque appendiculam habent subulatam, & præterea supra unguem in duos gibbos obtusos erectosque, generi proprios, attolluntur. Antheræ cærulescunt. Capsula glabra & oblonga continet semina subrotunda compressa & nigricantia, quæ per lentem conspecta formam exhibent obtuse muricatam huiumque inter duo tubercula profundum. Floret sub dio a Majo

ad Julium. Semina perficiuntur Junio & Julio. Hæc sub dicto titulo accepi ab egregio Thouin hortulano Regio Parisino.

TABULA TRIGESIMA TERTIA.

MALVA FRAGRANS.

Tota spirat odorem fœtidum, manibus digitis inhærentem, gravemque. Folia utrinque breviter hirsutula sunt, ut ad oculos nudos pili haud adeo appareant, qui vero in caule, ramis, petiolis, pedunculis & calyce, longiores sunt, ac copiosiores. Folia sunt basi cordata, subquinqueloba, lobo medio quandoque magis producto, obtusa, crenulata, petiolata, rugosula, subviscida, mollia, alterna. Stipulæ lanceolatæ, integerrimæ, breves, & acutæ. Pedunculi uniflori, graciles, petiolis longiores, solitarii, axillares. Flores diametri [illegible] habent: calycis exterioris triphylli foliola lineari-lanceolata acuta & patentissima; interioris semiquinquefidi lacinias ovato-acuminatas. Petala sunt latissima cum emarginatione vix ulla, calyce longiora, sordide rubentia, supra unguem album saturatius colorata. Staminum columna in basi inter quælibet petala puncto sanguineo tingitur. Antheræ reniformes pallent. Stylus cum stigmate circiter duodecimfido rubet. Semina totidem profunde calycea includuntur arillis nigris. Caulis primo anno in caldario ad sexpedalem altitudinem excrevit, cujus junioris, primum florentis, summitas depingitur; tandem lignosus cum ramis axillaribus longis, cortice fuscescente vestitus, perennis, rectus, a Junio ad Januarium usque floribus fructibusque onustus; habitu ad Malvam capensem proxime accedens. Semina ex horto Florentino missa fuerunt. Patriam ignoro.

TABULA TRIGESIMA QUARTA.

ARABIS PENDULA. *Linn. syst. pag.* 443.
Turritis latifolia hirsuta, siliquis pendulis. *Amm. ruth. p.* 58.

Ex radice fusiformi albida & perenni altero & subsequentibus annis caulis exsurgit erectus, teres, hirsutus, bipedalis, etiam plures, ramis axillaribus magnam partem ornatus. Folia omnia sunt lanceolata, acuminata, serrata, subtus asperiuscula, supra glabra; radicalia longe petiolata, caulina sessilia. Flores corymbosi. Calycis virentis ac erecti foliola sunt oblonga, obtusa, concava, glabra, & hispida superne pilis paucis albis, aliis solitariis, aliis fasciculatim egredientibus, nudo oculo ægre discernendis. Petala alba, obtusa & patula calycem haud multum superant. Antheræ flavent. Stigma est simplex & obtusum. Siliquæ lineares, acutæ, glabræ, compressæ, versus unum pleræque latus declinatæ, biunciales. Semina minuta, compressa, flava. Floret sub dio Majo & Junio. Semina matura sunt Julio. Inferior pars caulis desideratur in tabula. Ex Sibiria semina accepi. Vere ab Arabi Turrita Linnæus distinxit, vel primo intuitu discernendam. In hac pendula flores sunt duplo fere minores; petala alba, nec ochroleuca; calycis foliola semper illo, quo dixi modo, hispidula, nec unquam transversis illis rugis undulata; caulis pilosus, tum, uti dorsum in foliis, asperiusculus, nec tantummodo villosus & mollis; folia præterea acuminata, tenuiora & virentia, nec obtusa, crassula, tomentoso-villosa, & subincana; siliquæ breviores, angustiores; & semina minora.

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

CYANELLA CAPENSIS. *Linn. syst. pag.* 2 [illegible].

Bulbus subrotundo-depressus, carnosus, [illegible], superis [illegible] & [illegible], [illegible] & nauseosi, aquæ impositus (imprimis antea læsus) in palam diffluens fœtidam, bulbulum effœtum basi adhærentem gerens, ex medietate sua caulem tenuem attollit, ad telluris superficiem incrassatum, hic folia exserentem radicalia, inde pergentem foliatumque in ramos successive proditurus patentes & diffusos. Folia radicalia mihi dicta pauca, basi vaginantia, longe lanceolata, acuminata, glabra, integerrima, facie striata. Caulina ramis subjacent sessilia, lineari-lanceolata & acuminata. Caulis ramique teretes desinunt in racemos. Pedunculis propriis bracteæ apponuntur acutæ & striatæ. Calyx abest. Petala sex, ovata, cum quadam purpura cærulescentia, patentissima, obtusiuscula, tria alterna interiora, ex exterioribus latioribus infimum plerumque latius, sic ponantur, ut tria proxima sursum videantur magis vergere, reliqua tria propendere [illegible]. Staminum inseriens situs men[illegible] [illegible] ringens, scilicet tria superiora, [illegible] uno ordine posita, parumper [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]gunt superius sive galeam. His locatur ad latus utrinque stamen [illegible], situ demissiore. Sextum multo reliquis crassius & cana[illegible]ulatum, deorsum inc[illegible] [illegible] atque petalo infimo latiori. Filamenta brevia lata & acuta flavent. Antheræ [illegible], luteæ, [illegible], & incurvæ, ad apicem dehiscunt, hiantque veluti bilabiatæ. Ger[illegible] [illegible]rum & subrotundo-triquetrum abit in stylum album, declinatum, subulatum, lon[illegible] [illegible] staminum, cum stigmate subtrifido. Capsula figura germinis, trilocularis & tri[illegible] [illegible] [illegible] fert semina omnino circiter duodecim, atra. Flos odore caret. Floret sub dio, in loco per hyemem tegendo, ab initio Junii ad Augustum, ex novis ramis semper novos flores producens. Semina maturescunt Augusto & Septembri. Ad latus etiam bulbus est, ex basi conspectus; dein capsula, semen; & aucta stamina. Ex Promontorio Bonæ Spei [illegible].

TABULA TRIGESIMA SEXTA.

BUBON GALBANUM. *Linn. syst. pag.* 212.

Anisum africanum frutescens, folio Anisi, galbaniferum. *Pluk. alm. p.* 31. *t.* 12. *f.* 2.

Ferula africana galbanifera, folio & facie ligustici. *Herm. par. p.* 163.

Æstatem sub dio, hyemem in tepidario tra[illegible]. Tota planta glabra est, & odore pollet [illegible] aromatico, saporeque [illegible] & acri. [illegible] a Junio ineunte ad medium Julium. [illegible]a maturescunt sub finem Augusti. Caulis frutic[illegible]us, quinque & plures pedes altus, teres, digitum crassus, purpurascens, debilis ut ipse sustentare se nequeat, nodosus, aphyllus, inferne lignosus, ad nodos foliorum præteritorum emarcidis detritisque vaginis vestitus, lineatus, superne foliosus parumque ramosus. Folia ortum ducunt ex vagina striata & amplexicauli, suntque subtripinnata, superiora subbipinnata; costis teretibus solidisque, foliolis rhombeis, acutis, firmis, crassulis, glaucis, per venas substriatis, subtrilobis, inferne inte[illegible]imis, superne serrato-incisis; in summo caule magis cuneiformibus. Umbella terminalis ca[illegible] ampla convexula ex radiis numerosis subteretibus; laterales in ramulis paucæ, minores. Involucri universalis foliola duodecim plus minus, reflexa, acuta, lanceolato-linearia, persistentia, ad oras membranacea & albida. Partialis fere duplo pauciora, patentissima, cæterum similia. Omnes flores hermaphroditi & fertiles. Qui in umbellularum sunt ambitu, primo florent, & sic successive reliqui versus centrum. Petala æqualia, late ovata, patentissima, & cum virore flavescentia, apicem acutum inflexum habent, nec tamen

 cor-

cordata. Filamenta cum virore pallent, eriguntur, & corollam longitudine ſuperant. Antheræ flavent. Germen teres & ad baſin anguſtius vertice coronatur viridi, emittente ſtylos ſubulatos brevesque. Fructus compreſſus diſpeſcitur in duo ſemina glabra, fuſceſcentia, ſubovata; hinc plana, illinc convexula, tribus ſtriis elevatis notata; ad oras aucta margine membranaceo albido, ſaporis fervidi & ipſius plantæ. Hoc utrinque in naturali magnitudine exhibetur, tum aucta ejus transverſa ſectio; dein caulis inferioris foliique inferioris pars, & flos auctus

TABULA TRIGESIMA SEPTIMA.

ASTRAGALUS LAXMANNI.

Numeroſas inter plantas Imperii Ruſſici, quas hortus acceptas referre debet liberalitati illuſtris Erici Laxmanni, etiam hicce Aſtragalus eſt, ex ſeminibus Sibiricis enatus. Ex radice perenni, ramoſa, calamum & ultra craſſa, atque ſordente, altero anno & ſubſequis caules funduntur ramoſi, ſubangulati, proſtrati, pedales, producti una cum ramis in pedunculos longos adſcendentes ſtriatos ſpicaque denſa terminatos. Folia pinnata ex paribus circiter duodecim cum impari terminante: foliolis oblongis, acutis vel obtuſis, ſeſſilibus, integerrimis. Stipulæ membranaceæ, integerrimæ, acuminatæ. Spica ipſa, in hac flores, tum corolla tota, & legumina eriguntur. Bracteæ ſetaceæ. Calyx tubuloſus pilis atris decumbentibus ad lentem obſitus deprehenditur, denticulis quinque ſubulatis inæqualibus inciditur, & horum ſummos duos per ſinum obtuſum profundum valde diſtantes habet. Corolla pallide cæruleſcit. Vexillum oblongum, emarginatum. Alæ oblongæ, obtuſæ, vexillo breviores, longiores carina, ungue longo capillari. Carina oblonga, obtuſa, ad apicem ſaturatius tincta, cum unguibus longis & capillaribus. Stamina diadelpha. Antheræ flavent. Germen villis albis hirſutum. Legumen villoſum, oblongum, trigonum, depreſſum antice in ſulcum, dorſo acutum, mucronatum, ſubbiloculare. Semina plura, puſilla, reniformia, nitida. Floret Junio & Julio. Ad latus ſeorſim vexillum, ala, carina, legumen & ſemen ſiſtuntur.

TABULA TRIGESIMA OCTAVA.

LASERPITIUM DAURICUM.

Semina ſub umbelliferæ ex Dauria titulo accepi, quæ ſata ſub dio dedere primo anno ſola folia radicalia, altero caulem ſub finem Junii Juliique florentem, quando poſt peractum Auguſto fructum radix periit. Tota planta glabra eſt, trita ſubodorata, ſaporisque ſubaromatici ac parumper acris. Radix ſubfuſiformis digitumque craſſa ſordide albet, fibris craſſiuſculis undique aucta, odore aliquo apii prædita, ſapore etiam eodem ſimulque acri. Caulem attollit erectum, firmum, teretem, lineatum, fiſtuloſum, nitidum, ex alis plerorumque foliorum ſuperiorum ramoſum, virentem cum maculis circa medium adſperſis atropurpureis. Rami ſub umbella radiique ad tactum aſperiuſculi, videntur ad microſcopium in ſtriarum dorſis ex albo muricati. Folia radicalia & caulina ſunt tripinnata; ſumma pinnata. Coſta antice ſulcata, cæterum angulata, nec fiſtuloſa, ad baſin oritur ex vagina ſtriata. Foliola ſunt pinnatifida, facie ſaturate virentia: laciniis omnibus lanceolatis, acutis, plerisque integerrimis, inæqualibus. Umbellæ ex ramis ſtriatis eriguntur, convexulæ, involucri foliolis donatæ plus minus ſenis, patulis, ſubulatis, acutis, brevi fuſceſcentibus. Umbellulæ parvæ, convexæ, diſtantes, a duodecim ad viginti, involucrum habent ſimile. Floſculi omnes fertiles. Petala omnia æqualia, ovata, apicem anguſtatum inflexumque geren-

gerentia, nec tamen inde notabiliter cordata, patentiſſima, tandem reflexa, alba aut omnia, aut unum alterumve ſemipurpureum. Filamenta ſubulata, inferne purpurea, & patentiſſima, corollam ſuperant. Antheræ flavent. Styli in germine increſcente reflectuntur. Germinis vertex flaveſcit, in limbo ad ſingula filamenta exaratus ſulco. Semina ſubovata, glabra, fuſca, ſaporis aromatici non grati nec acris; hinc plana, inde convexa, trialata, & ad oras inſuper in alam excurrentes membranaceam. Ad marginem ſtat flos auctus, dein ſemen in naturali magnitudine utrinque conſpectum, tandem aucti ſeminis ſectio transverſa.

TABULA TRIGESIMA NONA.

GERANIUM BICOLOR.

Tota graviter odorata eſt. Caulis fruticoſus, pollicem craſſus, ramoſus, perennis. Rami juniores hirſuti, teretes, purpuraſcentes. Stipulæ ad folia & ad umbellas ſubrotundæ cum acumine, latæ, villoſæ. Folia longe petiolata, tota hirſutula, ſubaſpera, virentia cum oris rubentibus, circumſcriptione cordata, profunde triloba; lobis acute & inæqualiter crenatis, etiam ipſis bi-vel trilobatis, lobo medio productiore. Umbella flores pluſculos continet. Calyx quinquepartitus ex foliolis ſubovatis, acutis, hirſutis, ſemireflexis, virentibus cum margine ſubrubente, & corolla duplo brevioribus, ortum ducit ex pedunculo proprio compreſſiuſculo rufo & hirſuto. Foliolum ſummum duplo latius eſt reliquis. Petala quinque, integerrima, obtuſiſſima, oblonga, in unguem attenuata, patentiaque, tinguntur elegantiſſime colore ſanguineo cum oris albis; quorum ſuperiora duo ſunt latiora & ad ungues denticulate colorata. Filamenta brevia, alba, decem, & connata, alterna ſterilia ſunt, alterna antheras gerunt flavas. Germen ovatum, incanum, villoſum. Stigmata quinque, revoluta, ſanguinea, villoſa. Semen dare hac usque recuſavit, jam ſeptennis planta, neſcio, unde allata. Hyemem agit in tepidario, æſtatem ſub dio.

TABULA QUADRAGESIMA.

ASTRAGALUS SULCATUS. *Linn. ſyſt. pag.* 498

Phaca cauleſcens erecta glabra ſulcata, pedunculis folio longioribus, leguminibus erectis ſubtriquetris. *Zinn. gœtt. p.* 142.

Semina a clariſſimo Laxmanno accepi. Radix perennis & lignoſa plurimos quotannis caules herbaceos promit, ſtricte erectos, tripedales, folioſos, teretes, glabros, fiſtuloſos, virides, parum ramoſos, ſuperne ſtriatos, nullibi in individuis noſtris ſulcatos. Foliis adſident ſtipulæ lanceolatæ, integerrimæ, acutæ, in ſuperiore caule minutæ. Folia ſunt pinnata ex foliolis utrinque circiter novem cum impari, infimis cauli approximatis, omnibus glabris, oblongis, integerrimis, obtuſiuſculis, & breviſſime petiolatis. Pedunculi racemoſi, axillares, ſtricti, ſuberecti, foliis tandem longiores, multiflori. Bracteæ ſetaceæ & pedunculi proprii ſunt breves. Flores modice eriguntur. Calycis ad lentem piloſi, parvi, virentis & bilabiati, denticuli ſunt ſubulati, ſuperiores magis diſtantes ab invicem & breviores. Corollæ pallide violaceæ vexillum obverſe ovatum & marginatum erigitur cum lateribus ſæpe parumper reflexis. Alæ vexillo breviores, oblongæ, obtuſæ, & erectæ, ungui breviſſimo inſiſtunt. Carina breviſſima obtuſaque albet cum apice fuſceſcente. Filamenta diadelpha. Antheræ luteæ. Legumina glabra, ſtylo acuminata, unilocularia, triquetra cum latere dorſali introrſum curvo & hinc ſulcato, ſemina continent plura, fuſca, nitida, & rotundato-reniformia. Flores ſub dio Junio & Julio. Semina perficiuntur Auguſto.

Differt ab Aftragalo auftriaco caulibus ftricte erectis, in auftriaco femper proftratis; tum limbo calycino, vexillo non reflexo ad angulum rectum; alis non bilobis; legumine glaberrimo. Ad latus tabula repræfentat vexillum, alam, carinam, calycem, racemum fructiferum & femen.

TABULA QUADRAGESIMA PRIMA.

TEUCRIUM ASIATICUM. *L[illegible] p. 388. S[illegible] p. 38*

Singularis aromaticus fortiffimus & gravis odor in tota planta eft. Radix ramofa, perennis & [illegible] rite in [illegible] progitur, profert ramofos, erectos, fub herbaceos, tetragonos, ad lentem villofulos, ex fufco virentes, circiter pedales. Folia funt oppofita, [illegible]-lanceolata, acuta, rugofa, venofa, obtufe ferrata, a [illegible], ad lentem utrinque hirfutula, patentia, petiolata, fordide virentia. Pedunculi axillares, folitarii, [illegible], uniflori, paten[illegible]. Calyx fupra planus, villofulus; lacinia fuperiore [illegible]ndata, acuta, magna; quatuor inferioribus exiguis, femiovatis, acuminatis, erectis, & æqualibus. Corollæ [illegible] hirfutæ & pallide carneæ labium fuperius nullum eft, vel indicium du[illegible] ejusdem leve; inferius eft trilobum, lacinia intermedia fubrotunda magna, lateralibus oblongis obtufis & brevi[illegible]. Antheræ ovatæ fufcæ filamentis infident purpurafcentibus & tubo corollæ paulo longioribus. Stigmata acuta [illegible]. Semina ad lentem villofula. Floret totam æftatem. Dubitanter ab illuftri Linnæo patria dicitur India orientalis. Aucta calyx & corolla fiftuntur in latere.

TABULA QUADRAGESIMA SECUNDA.

BALLOTE SUAVEOLENS. *Lam. fyft. p. 395. Jacq. hift. amer. p. 172.*
Meliffa fp[illegible]ata, lavandulam fpirans, major. *Plum. ic. 163. f. 1.*
Mefofphærum hirfutum, foliis cordatis, ferrato-finuatis, floribus verticillatis f[illegible]. *Brown. hift. jam. p. 257. t. 18. f. 3.*
Marrubiaftrum maximum, flore cæruleo, nardi odore. *Sloan. hift. jam. 1. p. 171. t. 102. f. 2.*

In p[illegible]que [illegible] Caribæis crefcente [illegible] in locis [illegible]. Ant[illegible] a p[illegible] odorem [illegible] forti[illegible], ex meliffa lamioque miftum. Tota hirfuta eft. Caulis duos tresve pedes altus, ramis brachiatus, tetragonus, digitum craffus, & fiftulofus erigitur. Folia funt longe petiolata, oppofita, cordato-ovata, acutiufcula, venofa, fubtus rugofa, finuato-ferrata, ad oras fubundulata. Pedunculi axillares, oppofiti, graciles, foliis breviores, & folitarii, flores umbellatim fuftinent feffiles paucos, a quatuor ad fex, bracteolis geminis fetaceis & minutiffimis fuffultos fere fingulos, fucceffive florentes. Florem defcribam illo in fitu, in quo fe offert intuenti. Calyx monophyllus, fubcampanulatus, decemftriatus, totus pilis albis hirfutus, glandulisque adfperfus ad lentem globofis pedicellatis albidis & exiguis, verfus medium in quinque dentes folvitur fubulatos rectos & rigidiufculos, quorum duo inferiores illi propiores funt & erecti, reliqui tres patuli. Ille in fructu augetur, habetque dentes tunc fuos patentiffimos omnes, faucem vero claufam villo denfo horizontaliter connivente. Petali violacei, foris villofuli & infundibuliformis, tubus ex angufta albaque origine paulatim nec notabiliter ampliatur, pertingitque ad calycinos usque apices. Limbi duplo brevioris labium feu fuperius eft femibilobum laciniis oblongis, obtufis, convexulis & patentibus. Labium inferius autem eft trilobum. Hujus laciniæ duæ laterales funt labio fuperiori fimillimæ, fed paulo anguftiores. Lacinia vero intermedia faccato

cucul-

cucullata, compressa, ex gibbo faucis orta, totaque retroflexa, galeam fere mentitur. Filamenta quatuor, purpurea, subulata, hirsutissima, faucemque haud adeo excedentia, incumbunt labio corollæ inferiori, eorundemque duo exteriora breviora, stachydum more, effœta ad latera utrinque recedunt. Antheræ oblongæ & didymæ flavescunt. Germina quatuor, oblonga, teretia, obtusa & glabra stylum emittunt filiformem, superne purpurascentem, situ & longitudine staminum. Stigmata duo, filiformia, utraque patent. Semina quatuor, quorum duo interdum abortant, magna, compressa, subquadrata, in horto, quum sero floruit, ad maturitatem haud pervenerunt. Calyx ratione labiorum, petalumque ex situ genitalium, considerari possunt tanquam inversa. Cum clarissimo Browneo opinor, plantam distinctum genus postulare. Ad exemplar ex caldario horti desumptum icon facta fuit, cui ad latus adstat aucta corolla, cum antice, tum ad latus conspecta; auctusque floris calyx. In horto floruit ab Octobri ad Januarium.

TABULA QUADRAGESIMA TERTIA.

THALICTRUM ANGUSTIFOLIUM *Linn. sp. p. 377.*

Thalictrum foliis adscendentibus, linearibus; panicula erecta. *Hall. hist. helv. num. 137.*

Thalictrum angustissimo folio. *Breyn. prodr. p. 46.*

Thalictrum pratense angustissimo folio. *Bauh. pin. 337. Pluk. alm. p. 364. t. 65 f. 6.*

Ex radice multifibrosa & flavescente quotannis pauci generantur caules, erecti, firmi, calamum crassi, bipedales vel altiores, fistulosi, striato-sulcati, superne ex alis ramosi, ad lentem villosuli. Folia oriuntur ex vagina amplexicauli striata & ad oras membranacea; hinc adscendendo stricte patent; multiplicato-pinnata; superiora paulatim minora minusque divisa, ut sub ramulis ultimis tandem supersint solæ bractearum adinstar vaginulæ. Costæ sunt striatæ, fistulosæ & brevissime pilosæ. Foliola sunt vere linearia in tota planta omnia, obtusiuscula, utrinque hirsutula, longitudine inæqualia, ita ut terminantia imparia sint sæpius longiora; in prona parte saturatissime virentia, rugosa, lucida, & propter nervum medium depressum revolutasque oras longitudinaliter biconvexa; dorso autem pallide virentia. Rami tandem solvuntur in pedunculos graciles, numerosos, simulque densam & amplam constituentes paniculam florum, qui forti odore suo, imprimis sub noctem, sambucum [illegible]. Petala quatuor, ovata, concava, patentissima, ochroleuca. Filamenta ab [illegible] & viginti, pallida, duplo petalis longiora. Antheræ flavæ, oblongæ, & [illegible]. Pistilla septem vel octo plerumque in totidem fere parvos fructus mutantur. Floret Junio.

TABULA QUADRAGESIMA QUARTA.

SECALE PROSTRATUM. *Pall. it. 1. p. 485.*

Radix constat fibris numerosissimis, albidis, capillaribus & ramosis. Culmi numerosi, simplices, procumbentes, geniculati, semipedales aut paulo longiores, nodosi, graciles, inferne glabri striati & foliosi, superne adscendentes. Folia utrinque & ad oras, cum quoque calmi superne, ad lentem conspecta, pubescunt. Sunt illa sublinearia, acuta, plana, integerrima, caulina longe vaginantia, summa latiora. Spica universalis culmos terminat, dense disticha, compresso-plana, circumscriptione ovato-subrotunda, composita ex spiculis utrinque a quatuor ad decem, circiter sexfloris, imbricatis, lanceolatis, sic compressis ut compressis lateribus sibi mutuo incumbant, sessilibus, rachi utrinque alternatim denticulatæ insidentibus. Gluma ad singulas spiculas est bivalvis; valvulis subæqualibus,

 lan-

lanceolatis, acuminatis, aristato-mucronatis, admodum concavis, virentibus cum limbo albido, foris scabriusculis, oppositis distantibus. Corollæ valvula exterior est calycinæ glumæ similis; interior autem mutica, obtusa, planiuscula, apice ciliato-denticulata, brevior, pellucida, albida cum limbo inflexo & ad dorsum virente. Utraque corollæ valvula marginem habet ad lentem spinulosum. Antheræ sunt sulphureæ. Stigmata alba & villosa. Semen oblongum, obtusum, hinc convexum, inde profunde sulcatum longitudinaliter, a corolla, nec dehiscente, nec demittente, arcte involvitur. Ratione flosculorum culta hæc planta multum recedit a sylvestri, cujus descriptionem clarissimus Pallas dedit, nisi sint diversæ. Sed ex Russia dicto sub titulo semina missa fuerunt. Floret Augusto & Septembri. Ad latus repræsentatur spicula partialis, eademque vi deducta, ut flosculi spectentur evidentius, vix auctæ. Tum ad lentem aucta calyx & corolla. Dein in nativa magnitudine spica integra fructigera, & semen a corolla adhærente mundatum; idemque auctum.

TABULA QUADRAGESIMA QUINTA.

LYCOPODIUM DICHOTOMUM. *Jacq. enum. vindob. pag.* 314.

Quandoquidem hujus *Lycopodii* nedum figura extare videatur, nec facile hæc ex nuda posset descriptione concipi, propterea illam huic operi insero, ab horto quidem nostro alienam, ut speciei veritas stabiliatur. Crescentem plantam copiose vidi in editorum montium Martinicensium locis udis muscosis & umbrosis, perfecte dichotomam, ramosam, pro varia ætate a dimidio ad duos pedes altam, erectam quidem, at debiliorem & ramis ultimis versus cellarem recurvatis. Folia dense & sparsim totam plantam occupant, linearia, longo acuminata, glabra, integerrima, patula vel erecta, inferiora ferme uncialia, summa dimidio breviora. Flores congeneribus similes, in axillis foliorum solitarii locantur omnium, quæ ultimas dichotomias & partem infra has bifurcationes aliquam exornant,

TABULA QUADRAGESIMA SEXTA.

CROTON BALSAMIFERUM. *Jacq. hist. amer. p.* 255. *Linn. syst. p.* 635

Propter eandem etiam causam, qua prioris plantæ dedi in hoc opere iconem, hujus atque sequentis, quarum semina apud nos non germinarunt, icones dabo. Descriptionem, quasem jam olim concinnavi, hic addam. Frutex ramosus, diffusus, erectus, tres quatuorve pedes altus, odoratissimus, ubique tomento denso ex cinereo flavescenti obsitus, totus scatet succo balsamico, spissiusculo, subfusco, & ex rupta qualibet parte guttatim exstillante. Folia habet lanceolato-acuminata, integerrima, sparsim alternantia, petiolata, duas tresve uncias longa, facie virentia, subtus ex luteo ferruginea, utrinque tomentosa & scabra. Spicæ graciles & erectæ ramulos juniores terminant primo, dein, productis utrinque ramulis, ferme eorundem dichotomias occupant. Flores parvi cum petalis candidis, mares atque fœminæ, in iisdem spicis locantur. Capsulæ parvæ & tomentosæ sunt. Martinicenses, quibus *Petit beaume*, sive Balsamifera pumila vocatur, ex spiritu vini cum hac planta destillato liquorem conficiunt spirituosum mensisque dicatum, cui nomen imposuere *Eau de Manter*. Reperitur frequens in rupestribus fruticosis maritimis Martinicæ & Curaçao.

TABULA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

ACALYPHA VILLOSA. *Jacq. hist. amer. pag.* 254.

Hujus

Hujus fruticis ramulum exhibeo masculinum, aliumque fœmineum. Descriptionem repeto antea a me datam. In sylvis sepibusque territorii Carthagenæ indicæ haud infrequentem inveni, florentem a Majo ad Augustum. Frutex erectus, sæpe quindecimpedalis, [illegible] vicinis hinc se sustentans, virgatus; ramis teretibus, senioribus lignosis glabrisque; [illegible] virentibus ac villosis. Folia sunt ovata, obtuse crenato-serrata, subtus pubescentia, alterna, acuta, longe & tenuiter petiolata, sine petiolo tres quatuorve uncias longa. Flores minimi locantur in spicis axillaribus, quarum aliæ mere fœmineæ, mere masculinæ [illegible] occupant diversos ramulos in eadem individua planta. Spicæ masculinæ sunt densæ, [illegible], erectæ, plus minus sesquiunciales. Fœmineæ sunt laxissimæ, & ad distantias habent involucrum dentatum, villosissimum, pauciflorum, ob exiguitatem vix conspicuum. Fœminarum calyx est pentaphyllus. Styli tres, ad basin usque singuli bipartiti. Pedunculi [illegible], increscente in capsulam germine, paulatim elongantur, tuncque multo longiores [illegible], dum ipsæ etiam pariter elonguntur spicæ,

TABULA QUADRAGESIMA OCTAVA.

COLUMNEA SCANDENS. *Linn. syst. pag. 427.*
Columnea scandens, phœniceo flore, fructu albo. *Plum. ic. 89. f. 1. gen. 28.*

Non citavi synonyma Brownei atque Sloanei, a Linnæo ad hanc plantam quoque relata; quia specie diversam credo. Geminatos ad alas alternas flores Browneus suæ tribuit, quos tamen singulares Sloaneana figura monstrat. Certe nostra planta, quæ omnino Plumeriana est, flores solitarios gerit. Tum nec calycis magnitudo, nec labii superioris corollæ inflexio, quadrant cum mea. Nec folia iconis Sloaneanæ conveniunt; & flores in hac, nescio, quam præ se ferant faciem? Propter hanc ambiguitatem non abs re esse duxi, inserere hanc plantam huic operi, addereque descriptionem & figuram, ad vivam stirpem a me concinnatas in insula Martinica, in cujus sylvis montanis umbrosis, florentem fructumque ferentem mense Aprili inveni. Caules fruticosi, inordinate ramosi, teretes, a foliis delapsis tuberculose inæquales, & glabri, truncos arborum vicinarum scandunt, iisdemque longarum radicum emissarum ope firmiter sese affigunt. Ramuli summi hirsutuli sunt. Folia ramos [illegible] unt, breviter petiolata, opposita, integra vel obsolete crenulata, ovata, obtusa vel acutiuscula, utrinque villosula. Pedunculi uniflori, axillares, solitarii, rarius oppositi. Flos speciosus, inodorus. Perianthium monophyllum, profunde quinquepartitum, persi[illegible] le virens: laciniis lanceolatis, acutis, erectis, planis, uno alterove [illegible] laceris interne instructis. Corollæ ringentes, foris villosæ, longissimæ, eleganter rubentes, dorsoque curvam lineam describentes, tubus versus basin sensim angustatur, indemque ex collo coarctato protuberat retrorsum in globum, in quo locatur glandula flavescens & subcordata, orta ante germen ex fundo calycis. Limbi bilabiati labium superius sive galea est fornicata, obtusissima, integerrima, erecta. Labium inferius galea multo brevius in tres lacinias dividitur, sublanceolatas, obtusiusculas, planas; duas laterales ad dorsum corollæ, intermediam deorsum reflexam sicuque demissiorem. Filamenta quatuor, filiformia, rubella, corollam fere æquantia, ejusdem dorso accumbentia, & duo reliquis paullo longiora, ortum ducunt infra germen. Antheræ sunt quadratæ, didymæ & incumbentes. Germen oblongum & villosum exserit stylum filiformem, stigmate donatum bifido obtusoque, & longitudine atque situ staminum. Capsula sequitur globosa, albida, calyci insidens, puncto umbilicali prædita, bilocularis, coriacea, mollis, hinc baccam mentita; continetque semina minuta numerosissima, oblonga, & insidentia receptaculo molli crassoque. A melle in fundo petali abundanter hærente nomen apud incolas sortitur Lianne de Syrop, sive Planta sarmentosa syrupi.

TABULA QUADRAGESIMA NONA.

RHAMNUS C[illegible]. *Linn. fyft. p.* 195. *Jacq. amer. p.* [illegible]5

Ex [illegible] germinavit, & adhucdum germinat, ut diu manere illa incorrupta debeant. Læte etiam excrevit ad usque bipedalem altitudinem; tertium vero ætatis annum nulla unquam arbuscula superavit; & unica sub hujus finem floruit, quam depictam hic sisto. Sylvestris arbor septempedalis truncum habet duas & ultra uncias diametro æquantem, vestitum cortice fuscescente, & in ramos plurimos subdivisum. Hi juniores tomento sericeo & ferrugineo obducuntur. Stipula axillis foliorum utrinque insidet setacea decidua & brevis. Folia sunt ovata, integra, alterna, breviter petiolata, venosa, rugosa, obtusa, in cuita etiam acuta, a tribus ad quinque pollices longa; utrinque tomento sericeo mollissimo brevissimoque, ut a pictore apte exprimi haud potuerit, dense obtita; juniora primumque prodeuntia ferruginose argentea nitidaque. Pedunculi axillares, petiolis paulo longiores, tomentosi, ramosi, primo plerumque bifidi, [illegible] hermaphroditos omnes, in quo umbellulam expansos sustinent, bracteolis muniti ad plerasque divisiones. Calyx, quem corollam Linnæus vocat, foris lanuginosus, patentissimus, ferrugineo-cinereus, semiquinquefidus, acutus. Petala, Linnæo squamulæ nectarii dicta, sunt glabra, ochroleuca, ex ungue tenui in cucullum ampliata, patentissima, parva. Filamenta ante petala locantur, geruntque antheram didymam & flavam. Corpus nectareus planus flavusque receptaculum floris internum tegit, ad oras in quinque sinus excisus, qui calycinis foliolis respondent. Stylus brevis & triquetrus stigmate coronatur trifido. Capsula subrotunda, trisulcata, trilocularis, & trivalvis, semen in quolibet loculamento unicum includit, atrum, nitidum, hinc convexulum, inde parumper angulatum. Valvulæ elastice & bifariam ad apicem dehiscunt. Flos auctus in tabula ad [illegible]

TABULA QUINQUAGESIMA.

RHAMNUS COLUBRINUS. *Linn. fyft. p.* 195. *Jacq. hift. amer. p.* 74.

Rhamnus arboreus; foliis ovatis, venosis; capsulis sphæricis, inferne ad mediratem [illegible]ratis; pedunculis umbellatis, alaribus, cortice glabro. *B*[illegible] *p.* 1[illegible]2

Arbor [illegible], foliis majoribus splendentibus, flore per[illegible]. [illegible] 1. *t.* 175 [illegible] 90

Hæc [illegible] non minus ac præcedens ex seminibus quotannis in caldario læte vegetat, altero ætatis anno quadripedalis, tertium vero nunquam egit, sine floribus altera hyeme pereuns. Truncus erectus, brachium crassus, in ramos dispescitur, plerosque patentes. Hi juniores, pedunculi, petioli, calyces, venæque in foliorum aversa parte, tomento sericeo brevissimo & ferrugineo obducuntur. Cæterum folia glabra sunt, superne læte virentia cum venis pallidis & lucida, breviter petiolata, alterna, ovata, integra, acutiuscula, a duabus ad sex uncias longa. Pedunculi circiter septemflori, axillares, umbellati, breves, in quibus flores omnes sursum vertuntur. Flores structura præcedentium, sed paulo majores, cum petalis sive squamis virentibus. Fructus & semina tam sunt prioribus similia, ut cum his mixta dignosci ultra nequeant. Gallis insulæ sancti Martini incolis vocatur Bois couleuvre sive Arbor colubrina. Crescit in plerisque Caribæis. Ramus pictus est ex planta in caldario culta. Ramulus fructiger ex sylvestri. Additur etiam seorsim valvula naturaliter aperta; tum semen.

TA-

TABULA QUINQUAGESIMA PRIMA.

INULA SUAVEOLENS

Videtur in plerisque hortis Botanicis hæc planta coli ſub Inulæ odoræ Linnæi titulo, a qua omnino diverſiſſima eſt, uti ſponte patebit ex comparatione inſtituta hujusce inulæ cum deſcripta & delineata a Columna aliisque genuina Linnæi odora: differt enim radice non odora, floribus pluribus, & aliis momentis. Tanquam novam propterea ſpeciem propoſui. Ex ſeminibus ſub dio ſatis enata, primo anno ſola folia radicalia promit, altero & ſubſequis caulem florentem. Radix inodora, ſed acris, conſtat faſciculo fibrarum teretium & ex albo ſordentium, quæ ex capitulo quodam craſſiore egrediuntur. Caulis unicus plerumque, raro plures, recta erigitur, teres, purpuraſcens, villoſus, folioſus, ſeſquipedalis, ſuperne tantum in pedunculos paucifloros ramoſus. Folia ſunt ex oblongo lanceolata, acuta, obſolete ſerrata, rugoſa, facie ſaturate virentia & breviſſime piloſa, dorſo pallidius virentia venoſa & longius hirſuta, infima in petiolum longe attenuata, ſumma ſeſſilia, ſubodora. Flores ſuaveolentes. Calycis ſquamæ ſunt interiores erectæ & purpuraſcentes; exteriores virides, breves & reflexæ. Corollulæ luteæ, in radio breviſſime tridentatæ & calyci longitudine cedentes. Styli & antheræ flavent; atque hæ ſetas generis habent. Semina atra cum ...is albis. Floret Julio & Auguſto.

TABULA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

PORTULACA CRASSICAULIS

Sub Portulacæ triangularis nomine jam ab aliquot annis ſemina accepi, quæ in caldario plures plantas produxerunt, adhucdum læte vegetantes, & ſeminibus numeroſis quotannis onuſtas. Differt manifeſte floribus rubris & habitu magis erecto ab illa Portulacæ ſpecie, quam in Hiſtoria ſtirpium Americanarum deſcripſi ſub triangularis titulo, quacum racemis & foliis cæterum congruit. Ex radice ramoſa caulis exſurgit carnoſus, pollicem & ultra craſſus, erectiuſculus, bipedalis & ultra, perennis, ramoſus, infra folia purpureus, cæterum virens, teres, obſolete ad tactum angulatus. Rami juniores ad hyemale frigus marceſcere ſolent. Folia ſunt lanceolata, obtuſa vel acutiuſcula, quandoque emarginata, craſſula, avenia, alterna, ſubſeſſilia, integerrima, verſus baſin magis attenuata. Racemi triangulares, erecti, aut ſimplices aut ramoſi, multiflori, terminales, quando tunc ad horum latera novi rami egrediuntur. Flores inodori, pedunculati. Calycis diphylli foliola ovata, acuta, concava, albida & pellucida cum tribus ſtriis virentibus. Petala rubra, calyce duplo longiora, patentiſſima, fere obverſe ovata, obtuſiſſima. Filamenta circiter triginta, rubella, & glanduloſe piloſa. Antheræ flavæ. Stigma trifidum, ſaturate purpureum. Capſula globoſa, unilocularis, trivalvis, polyſperma. Tota planta glaberrima eſt. Tabula ſuperiorem partem caulis repræſentat.

TABULA QUINQUAGESIMA TERTIA.

CISTUS ANGUSTIFOLIUS. *Juſſ. in demonſtr. horti reg. paris.*

Ad ordinem Ciſtorum ſtipulatorum ſuffruticoſorum pertinet. Radix ramoſa & fuſceſcens caulem fundit teretem, vel ab ipſa ramoſum baſi, una cum ramis principibus perennantem & lignoſum; qui altero quidem anno, quo primum floret, erigitur, uti in icone; poſterioribus vero annis dejici ſolet, denſumque tunc conſtituit & inordinatum plurimorum

ramorum fruticem. Rami juniores sunt cum foliis stipulis & racemis villosuli & subincani Stipulæ quatuor more affinium, subulatæ, & acutæ. Folia sunt opposita, lanceolato - oblonga, acutiuscula, integerrima, breviter petiolata, utrinque aspera, modo plana, modo, ob oras reflexas nervumque intropressum & hinc subtus protuberantem, in facie biconvexula. Racemi terminales, multiflori, erecti; pedunculis propriis in fructu reflexis. Bracteolæ stipulis similes, deciduæ. Calycis hirsuti foliola duo exteriora linearia; reliqua ovata acuta & nervosa. Petala flava, ad oras obsolete crenulata vel integerrima, ad basin fulva. Stamina lutea. Capsula hirsuta, ovata, unilocularis, semen dumtaxat unum alterumve includit. Hyemem in tepidario transigit, æstatem sub dio.

TABULA QUINQUAGESIMA QUARTA.

AMOMUM ZERUMBET. *Linn. syst. p.* 50. *Jacq. enum. vindob. p.* 301. *Murr. act. gœtt.* 6. *p.* 26. *t.* 2. *Mill. ic.* 25. *Ehret. pict.* 14.
Zingiber latifolium sylvestre. *Herm. lugd. p.* 636. *t.* 637.
Lampujum. *Rumph. amb.* 5 *p.* 148 *t.* 64. *f.* 1
Katou inschi kua. *Rheed. mal.* 11. *p.* 27. *t.* 13.

Ab anno hujus sæculi sexagesimo, quo florentem in horto Botanico primum elegantem hanc plantam conspexi, duos dein post annos in opusculo supra citato a me descriptam, in hoc usque tempus florere copiosius non desiit; fructum nunquam tamen ullum tulit. Ut huic operi depictam illam inferrem, jam æri insculptam habebam non tantum, sed & impressas plurimas coloratasque tabulas, quando egregiam ejusdem descriptionem & iconem optimam, celeberrimo Murræo autore Actis Gœttingensibus insertam, cognovi. Forte igitur supprimenda hæc mea fuisset, nunc inutilis; & sane dubius æsi diu; sed a me impetrare non potui, cum ob nun... jam factos in tabulam pretiosam sumptus, tum ob feliciter expressas, quibus tenebar, figuras, ut non ederem. Linnæus in Speciebus suis citat quoque Brownei Amomum secundum, ceu synonymum plantæ nostræ, ex ipsa Brownei sententia; at vero si Amomum Browneanum cum Paco Seroca Marcgravii cumque Zinzibere sylvestri majore Sloanei, aut saltem cum alterutro (si etiam hæc inter se diversa) idem sit, uti omnino credibile est, speciem illud a nostra alienam indicat. Sponte crescit in Malabaria & in insulis Moluccis; atque hic etiam cultum Rumphius asserit. In America ego nunquam vidi. Radix dicitur in Horto Malabarico, lucri causa, cum Zingibere officinali commisceri; sed fraus illa ex sapore esset facillime detegenda. Folia juniora inter olera haberi, Rumphius autor est. In ipso natali solo fructum ferre negatur, quod affinibus pluribus solenne est, ut eo minus hunc in Europæis caldariis sperare liceat. Suspicatus, hujus defectus causam fortassis pendere a nimio liquore, intra coni floriferi squamas naturaliter hærente, germinaque putrefaciente, prudenter avulsi plurimas squamas, floribus illæsis, sed nihil efficere potui, & germina rugosa flaccidaque obtinui. Tota planta odore pollet aromatico, qui cum Zingibere commune quid habet. Sapor etiam aromaticus, qui dum in herba fibrisque & tuberibus pendulis radicalibus debilis est, tanto est validior in radicum bulbosa congerie, acritate tamen Zingiberi cedens multum, sed tandem ingrato amarore molestus. Bulbi illi perennes quotannis quaquavorsum numero augentur, aliqua sui parte connati, carnosi, fibrosi, subrotundi, unciam unam alteramve diametro æquantes, quandoque magis difformes, albidi, foris a præteritis foliis rugis circularibus notati. Emittunt porro ex basi & lateribus fibras crassas magisque graciles, dimidium & ultra pedem longas, quarum paucæ terminantur in tubera carnosa & glandiformia. Ex bulborum vertice caules exeunt annui, herbacei, erecti, a tribus ad sex pedes alti, digitum crassi, teretes, superne ancipites, adulti superne parumper inflexi, steriles, foliosi, ad basin aphylli foliisque vaginis arcte amplexantibus vestiti, infimis rubris vel fuscis, reliquis virentibus cum limbo albido. Folia sunt alterna, elongato - lanceolata, acuminata, integerrima, obscure lineata, facie læte virentia, dorso pallidiora, nuda, antice in medio anguste canaliculata & hinc

ner

nervum medium subtus elevantia, subdisticha; infima breviora, summa angustiora, intermedia longissima ad novem decemve uncias; omnia petiolo brevissimo innixa, orto ex dorso vaginæ amplexicaulis longe infra ejus apicem membranaceum. Ad caulium latus egreditur scapus floriger, aphyllus, meris vaginis, uti inferne caulis, tectus, teres, oblique assurgens, plus minus sesquipedalis, caulibus plerumque gracilior, spica terminatus. Hi in ipso exortu suo facile a caulibus distinguuntur, quod verticem gerant obtusum & crassiulum, caules vero eundem habeant gracilem & subulatum. Spica in principio ovata, adulta magis oblonga evadit; neque figuræ discrimen hanc inter spicamque Zingiberis reperio, ut definiri ab illa apte queant; uti optime clarissimus Murray monuit, foliorum latitudinem merito præferens. Cui addi pro ulteriore differentia potest, quod in Zingibere spica ob bracteas magis inflato-concavas laxioresque undique protuberet, nec sit, ut in Zerumbet, superficie æquissima; tum etiam quod in Zingibere non raro in eadem spica plerique flores simul floreant. Spica componitur ex squamis sive spathis numerosis, dense & eleganter imbricatis, concavis, amplis, subrotundis cum basi contractiore, liquore odorato mucilaginoso plenis, obtusissimis cum exiguo mucrone, virentibus cum limbo tenui membranaceo albicante pellucido nec superante mucronem. Post florescentiam, Rumphius ait, spicam cocti adinstar cancri rubere. Apud nos sic rubent margines albi squamarum, dum squamæ ipsæ palide flavescunt totæ, eleganti coloris mutatione. Cæterum spicæ sic marcescentis odor longe suavior evadit, diutissimeque viget. Intra quamlibet squamam flos unicus sessilis est, inferioribus paucis pluribusve exceptis, quæ flore carent; quas inter tamen non numero unam alteramve illam maxime ventricosam, a vera [illegible], [illegible]m potius scapi difformem. Flores ab inferioribus successive expandun[illegible], [illegible] in eodem altitudinis ordine, ita tamen, ut rarissime plures quam quatu[illegible] [illegible], aut adesse ob numerum squamarum in eadem altitudine haud majorem possint; sæpe etiam dumtaxat terni vel bini. Extra scapum emersi, citissime & fere ad oculum increscunt, explicantur post paucas horas, post paucas denuo intereunt, dum ad ipsum limbum squamæ, eoque solo in loco, in mucilaginem veluti versi, abrumpitur floris limbus una cum contentis, deciditque brevi. Nec fit hoc a comprimente florem tenellum squama; quin avulsa hac in tempore, ut liberrimus flos maneret, factum id fuerit non minus, cum tardiore tamen lapsu. Pro calyce flori spatha duplex est; altera exterior *a*, major, squamæ fere longitudine, ex ipsa germinis communi basi orta, hinc convoluta & germen & reliqua includens. Altera interior *b*, quam perianthium vocaveram antea superum, germini insidens, conv[illegible]a continet corollæ tubum. Utraque albida, tenuis, subpellucida, obtusa, lanceolata, marcescendo persistens. Corolla *b d c* monopetala, ochroleuca, supera, intra squamam spicæ cylindrica *b d*, supra hanc infundibuliformis. Limbus bilabiatus; labio superiori *c* lanceolato, concavo, erecto, acuto, fere duplo breviore tubo; labio inferiori patente, profunde bipartito: laciniis angustioribus, cæterum similibus. Nectarium cum stamine apprime corollam ringentem simulat, ita ut nectarium faciat ejusdem labium inferius, superius a stamine fingatur. [illegible] autem nectarium amplissimum, monophyllum, longitudine fere petali, eidemque ad basin labii inferioris insertum, patentissimum, rugosum, ad oras crenulatum, & semitrilobum; laciniis rotundatis, lateralibus minoribus, intermedia maxima, emarginata, & in disco crassiore diluteque lutea. Filamentum unicum, lanceolato-oblongum, obtuse acuminatum, corollæ dorso sub labio superiore adnatum, hinc incurvatum nectarioque antrorsum incumbens. Antheræ geminæ, distinctæ, lineares, magnæ, adnatæ longitudinaliter parieti interno filamenti infra acumen, ochroleucæ. Germen pallidum, subrotundum, obsolete trigonum, compressiusculum, inferum, triloculare, polyspermum, forte capsula futurum. Stylus capillaris, longitudine filamenti, hujus accumbens dorso ad apicem usque, dum inter utramque antheram transit, stipatum, ad exortum ex germine, utrinque setula brevi. Stigma incrassatum, simplex, ad lentem ore aperto ciliatoque. Omnes tabulæ figuræ ad magnitudinem naturalem sunt. Conspicitur bulborum aggeries, ex qua scapi exeunt duo florigeri, alter jam circa medium florens, alter nedum adultus; tum caulis foliosus junior integer, & abscissi duo adulti, quorum pars truncata aliqua superior cum adnexo folio seorsim a tergo pingitur. Ad latus vero adstant sequentia. Spica florens cum avulsis omnibus inferioribus squamis, ut pateat, quo hic pacto locentur florum superstites partes inferiores post casum partium superiorum. Et in hac spica

etiam repræsentatur extra squamam prominens, sed adhucdum clausus. Dein uno ordine squama spicæ, spatha exterior expansa, & huic involucus flos integer, a latere visus. Tandem (abstracta spatha exteriore & demptis nectario ac stamine) corolla, ad basin obvoluta spatha interiore, cum germine; spatha hæc expansa; pistillum; & stamen vi erectum.

TABULA QUINQUAGESIMA QUINTA.

OENANTHE CROCATA. *Linn. syst. p.* 212
Oenanthe cicutæ facie, succo viroso crocante. *Lob. adv.* 326. *Act. angl.* 1747. *n.* 480, *p.* 235 *t.* 3
Oenanthe chærophylli foliis. *Bauh. pin.* 162

Radix perennis componitur ex aliquot cruribus fusiformibus, teretibus, fructice albentibus, tum ex fibrillis pluribus gracilibus; in horto nostro nullum succum croceum huc usque fundentibus. Caulis bipedalis, ramosus, angulato-striatus, parumper flexuosus, medulla fungiore farctus. Folia sunt duplicato-pinnata, costa striata, terete, & inferne vaginante; foliolis circumscriptione ovatis vel triangularibus, inæqualiter incisis, quandoque ternatis, obtusis. Involucrum universale paucifolium & breve. Partiale polyphyllum, simile. Umbellæ erectæ, convexæ & raræ caulem ramosque terminant. Particulares sunt densæ. In harum ambitu plures flosculi germine destituuntur, hinc steriles. Perianthium proprium fit ex foliolis parvis & acutis. Petala sunt alba, patula, cordata, apicem acutum gerentia inflexum; exteriora in circumferentia umbellularum paulo majora, in reliquis flosculis æqualia. Filamenta capillaria, patentissima, petalis paulo longiora. Antheræ fuscæ, parvæ. Styli albi, subulati, erecti, longi, persistentes. Semina oblonga, obtusa, calycinis dentibus coronata, cinerea, vix sapida, hinc plana, illinc quadrisulcata cum alternantibus quinque gibbis. Tota planta glabra & fere inodora est. Crescit sub dio, florens Majo & initio Junii, semina perficiens Julio. Ad marginem tabula sistit semen; dein aucta florem & seminis transverse secti faciem.

TABULA QUINQUAGESIMA SEXTA.

POA ASPERA. *Juss. dem. hort. paris.*

Gramen Indiæ Orientalis [illegible] ex radice annua fasciculata & pendula plures culmos attollit, a sesquipede ad tres pedes altos, modo erectos totos, modo in exortu adscendentes, simplicissimos, teretes, nudos, glabros, fistulosos, geniculatos, foliosos, in paniculam speciosam amplissimam & pedalem terminatos. Foliorum vaginæ longitudine fere internodiorum arcte culmum amplectuntur, striatæ, ad apicem barbatæ, ad partem foliis oppositam longitudinaliter pilosæ, cæterum glabræ. Folia ipsa plana, acuta, longa, subtus glabra, supra pilosa & asperula. Panicula ex vagina summi folii lente protruditur, tandem ad uncialem distantiam supra eandem eminet, integre expansa ferme totam faciem hujus tabulæ occupasset, unde pro parte dumtaxat emersa hic depingitur. In hac spiculæ, quæ conspiciuntur majores, debitum jam sunt volumen adeptæ; quæ juniores flores agrosteos mentiuntur. Pedunculi laterales, ex primario centrali egressi, in adulta planta omnes horizontaliter patent, quæ in picta juniore adscendunt. Centralis ille ad lateralium exortum, qui subverticillaris est, pilis albidis est barbatus; inferne glaber, superne autem, una cum omnibus in integrum pedunculis particularis lateralibus, ob minimas adscendentes & ad solum microscopium conspicuas spinulas, asperrimus. Spiculæ parvæ, plus minus decemfloræ, lanceolatæ, compressæ, virentes cum admixta rubedine. Gluma omnibus flosculis, communis diphylla; valvulis subovatis obtusis,

lis, corolla brevioribus, concavis, in dorsi carina asperis, altera longiore. Corollæ bivalves, valvulis obtusis, concavis, patulis, lineas tres virentes gerentibus, ad oras ciliato-spinosulis. Filamenta tria, circiter longitudine petalorum. Antheræ sanguineæ, geminæ. Styli duo cum stigmatibus pilosis. Germen ovatum abit in semen minutum, tereti-ovatum, glabrum, fuscum. Floret in caldario ab Augusto ad Decembrem. In tabula sistuntur ad latus, aucta omnia ad lentem, spicula integra, in qua conspiciuntur infra corollas binæ calycis valvulæ, & infra has pedunculus spinulosus; dein flosculus expansus.

TABULA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

CORCHORUS HIRSUTUS. *Linn. syst. p.* 369.
Corchorus americanus lanuginosus, folio chamædryos, siliqua tricapsulari lanuginosa & subaspera. *Breyn. prodr.* 3. *p.* 56.
Guazuma frutex chamædrifolia, fructu lanuginoso, major & minor. *Plum. ic.* 104

Sylvestrem hunc fruticem inveni, in apricis crescentem, pluribus in Caribæis insulis, & ad illum in loco natali factam iconem hic sisto; nam ex numerosis a me allatis seminibus nullum unquam in caldariis nostris germinavit. Sic inserui tertio huic volumini paucas stirpes, in Americano itinere meo a me depictas descriptasque, quæ quidem in horto nostro non vegetarunt, sed quarum cognitionem proxiorem magis acceptam fore credidi, quam illarum, quæ ex horto adhucdum superfuissent tradendæ. Ad humanam altitudinem adscendit, ramis pluribus teretibus donata, junioribus villosis. Folia sunt alterna, rotundato-ovata, obtusissima, petiolata, crenata, crassiuscula, utrinque tomentosa, venosa, subtus incana. Pedunculi laterales, umbellati, a quatuor ad septem flores sustinent, inodoros, propriisque pedunculis insidentes. Calycis foliola sunt oblonga, concava & villosa. Petala flava, subrotunda, patentissima, longitudine calycis. Stamina longitudine & colore corollæ. Germen villosum. Stylus longitudine staminum. Stigma obtusum. Capsula ovata, parumper incurva, lanuginosa, obtusa, bilocularis, polysperma. In Jamaica fruticem vidi, foliis oblongis a priore diversum, quem pro sola habeo varietate. Hujus etiam iconem hic propono.

TABULA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

CORCHORUS HIRTUS. *Linn. syst. p.* 369
Corchorus folio ulmi major. *Plum. ic.* 103. *f.* 2.

Planta annua, in insulis Caribæis sponte crescens, ex radice ramosa & ex albo sordente caulem gignit erectum, teretem, imprimis superne ramosum, duos tresve pedes altum, hirsutumque. Folia habet alterna, lanceolata, acuta, argute serrata, breviter petiolata, pilosula, utrinque rugosa. Flores inodori, laterales ad petiolos, pedunculati, solitarii vel bini. Calycis foliola hispida, patentissima, plana, lanceolato linearia, acuminata, cum virore flavescentia. Petala flava, calyce breviora, patentissima, obtusissima, versus basin paulatim angustata. Stamina colore & altitudine petalorum. Germen oblongum, teres, pilis albidis erectisque hispidum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma capitatum. Pedunculus in fructu arcuatim deflectitur. Capsula linearis, acuta, hispidula, fusca, fere uncialis, bisulcata, bivalvis, valvulis contrariis dissepimento, quod oritur a processu longitudinali duplici, quolibet orto ex valvulæ uniuscujusque sulco introrsum producto, ibidemque contiguo, nec connato. Semina numerosa, nigra, angulata, parva. In caldario floret æstate & autumno.

TABULA QUINQUAGESIMA NONA.

CORCHORUS SILIQUOSUS. *Linn. ſyſt. p.* 369.
Corchorus folio ulmi minor. *Plum. ic.* 103. *f.* 1.
Corchoro affinis chamædryos folio, flore ſtamineo, ſeminibus atris quadrangulis duplice ſerie diſpoſitis. *Sloan. hiſt. jam.* 1 *p.* 145. *t.* 94. *f.* 1.
Coreta foliis minoribus ovatis crenatis, floribus ſingularibus. *Brown. jam. p.* 147.

Arbuſcula a tribus ad ſex pedes alta, ramis virgatis & erectis, truncum habet inferne pollicem craſſum, teretem, fuſceſcenti cortice veſtitum, minimis verruculis exaſperatum. Stipulæ ad folia ſunt ſeraceæ. Hæc autem lanceolata, acuta vel acuminata, modo longe modo brevius petiolata, utrinque glabra, argute ſerrata, alterna, magnitudine variantia, per brevia intervalla totos ramos juniores ornantia. Pedunculi foliis opponuntur breves, uniflori vel pauciflori. Flores ante expanſionem nutant. Calycis pentaphylli foliola ſunt lanceolato-linearia, acuminata, canaliculata, pallide virentia. Petala quinque, flava, longitudine calycis, obverſe ovata, deſinentia baſi in unguem, obtuſa, parum concava, integerrima, patentiſſima. Filamenta circiter triginta, petalis paulo breviora, filiformia, erecta, flava. Antheræ flavæ, ſubrotundæ. Germen oblongum, teres, villoſulum. Stylus craſſus, ſubulatus, pallidus. Stigma capitatum, muricatum. Capſula linearis, compreſſa, fere biuncialis, ſubaſpera, erecta, bilocularis propter proceſſum aliquem longitudinalem ex utraque valvula egreſſum in mediaque capſula cum oppoſito contiguum, bivalvis, ab apice dehiſcens. Semina teretia, utrinque truncata, nigra, numeroſiſſima, in quolibet loculamento ſerie unica. Sponte creſcentem paſſim vidi in inſulis Caribæis; unde ſemina attuli. In caldariis læte vegetat, florens quotannis Novembri & Decembri, nunquam primo vere; unde flores tetrapetalos & tetrandros, vernales illos, de quibus Linnæus loquitur, mihi videre nusquam contigit. Tales etiam hos in univerſum illuſtris Brownæus aſſerere videtur; addens capſulam teretem, quadrivalvem, apice quadrifariam dehiſcentem; quæ omnia in mea nunquam obſervavi planta. An de eadem utrique ſermo eſt?

TABULA SEXAGESIMA.

CRINUM FALCATUM.

Bulbum anno 1772 ex promontorio Bonæ ſpei accepi, qui abhinc ſemel duntaxat, floruit, nec fructum tulit. Bulbus ovatus, ex ſquamis ſolide compactus, foris nigricans & lineatus, magnitudine pugni, ad baſin fibris albidis craſſiſſimis radicatus, per totam æſtatem folia promit linearia, obtuſa, craſſula, glauca, ad oras ex albo cartilagineo crenulata, magis minusve falcata, & terræ incumbentia. Scapus lateralis, erectus, foliis duplo brevior, compreſſus, rufus. Spatha bifolia; valvulis ovatis, obtuſiuſculis, integris, ſuberectis, ex roſeo & flaveſcente ſordeſcentibus. Ramenta inter flores quædam adſunt. Flores ſuaveolentes, ſeptem, & ſuberecti, umbellatim in ſpatha locantur, innixi pedunculis ſeſcuncialibus, obſolete angulatis, nudisque. Corollæ æqualis, ſexpartitæ, & infundibuliformis, tubus eſt brevis; laciniæ autem longæ verſus baſin paulatim anguſtantur, albidæ cum dorſi media parte rubra. Stamina non declinata. Antheræ incumbentes flavent. Stylus declinatus rubet.

TABULA SEXAGESIMA PRIMA.

THALICTRUM ATROPURPUREUM.

Om

Omnino plura, quam quæ apud Linnæum numerantur, Thalictra ſunt; ſed nec, quæ ille habet, ex definitionibus datis facile cognoſcentur. Et profecto quam diſcernitur genus promptiſſime, tam determinare ſpecies arduum eſt. Non poteſt hoc Thalictrum referri ad illud Cornuti, cui pentapetala corolla eſt. Nec ad purpuraſcens Linnæi, in quo Linnæus ſtamina tantum quatuordecim, caulem purpuraſcentem ſine nebula, aliaque diverſa ſtatuit. Nec ad aliud Linnæanum alitum; ut novum imponere nomen debuerim. Jam a ſeptemdecim annis planta in horto perſiſtit, neſcio, unde allata. Radix conſtat faſciculo denſiſſimo fibrarum craſſarum, ſordide albicantium, fere ſemipedanium, perennantium, odoris expertium, ſaporis primo ſubfarinacei, dein aromatici, nec tamen acris; per capitula emiſſa more affinium lateraliter ſerpens. Caules tripedales ramique terminantur in paniculas florentes faſtigiatas denſaſque, nitidi, fiſtuloſi, teretes, lineati, ante floreſcentiam quam maxime atropurpurei & rore glauco tecti, poſtea partim atrovirentes. Folia ſunt triternata; foliolis aquilegiæ fere, ſed minoribus, venoſis, glabris nec nitidis, facie atrovirentibus, dorſo ſubglaucis & reticulatis, ſuperne lateſcentibus ibidemque varie lobato-inciſis. Petioli teretes, firmi, patentes, & cum virore purpuraſcentes, ad diviſiones ſtipulas habent albidas tenues & ſubrotundas. Floribus ſubodoratis petala ſunt quatuor, fere ſubrotunda, obtuſa, admodum concava, foris atropurpurea & ſtriata, intus albida, caduca. Filamenta circiter ſexaginta pallide purpuraſcunt. Antheræ flaveſcunt. Germina a decem ad ſedecim abeunt in fructus glabros, pendulos & triangulares. Floret ſub dio a fine Maji ad finem Junii.

TABULA SEXAGESIMA SECUNDA.

OENANTHE PROLIFERA. *Linn. ſyſt. p.* 212.
OEnanthe prolifera apula. *Bauh. pin.* 163. *Moris. hiſt.* 3. *p.* 289. *ſ.* 9. *t.* 7. *f.* 5.

Glabra tota ex radice perenni, quæ conſtat tuberibus pluribus, teretibus, utrinque attenuatis, longis, foris ſordide fuſceſcentibus, intus albis, caulem generat herbaceum, ſesquipedalem, erectum, parum ramoſum, viridem & angulato-ſtriatum. Folia ſubtriplicato-pinnata oriuntur ex coſta tereti, vix ſtriata, & ad baſin vaginante; foliolis obtuſis, inciſis, & circumſcriptione ſubovatis aut magis ſubrotundis. Involucrum univerſale aut plane nullum, aut eſt foliolum unum alterumve ſubulatum. Particulare autem fit ex foliolis pluribus lanceolato-linearibus, acuminatis, inæqualibus, brevibus, patentiſſimis. Umbella univerſalis habet radios a quinque ad octo, longos, ſtriatos, craſſulos, patulos. Particularis in principio floreſcentiæ denſiſſima, convexa, parvaque, flores habet fere ſeſſiles, ut radii abeſſe videantur Tunc incipiunt prodire in ambitu radii aliquot, atque elongari horizontaliter, dum centri diſcus perſtat compactus; uique alii breves, alii etiam unciales; modo uniflori, modo eo plures floſculos ad apicem gerentes, quo ſunt ex pluribus radiis in unum corpus connati, atque eo propterea planiores latioresque. Omnes hi radiorum floſculi ſunt maſculi, ſteriles, & ob petalorum magnam inæqualitatem valde difformes. Flores autem centrales ſunt hermaphroditi, fertiles & æquales. His perianthium proprium eſt ex foliolis quinque, acutis, & inæqualibus. Petala ſunt alba, erecta, longe cordata, apice antrorſum inflexo ſubulato & longiſſimo; lateribus verſus dorſum utrinque rejectis. Filamenta alba corollam ſuperant. Antheræ fuſceſcunt Fructus cuncti uniuscujuscunque umbellulæ capitulum ſimul hemiſphæricum compactum durumque conſtituunt, exaſperatum calycinis foliolis emarcidis rigentibus, tum quoque ad lentem in ſuperficie inſignitum ſtellulis radiatis tot, quot ſunt in illo capitulo ſingulares fructus. Hi ſunt inverſe conici, parum ſapidi, inodori, pallidi, angulati, obtuſe ſulcati, & calycis foliolis conniventibus coronati; ſulcis ſuper verticem ad calycem usque, nunc in centro locatum, pergentibus, & ſic ſtellulam ibidem formantibus. Semina ſunt glabra, hinc plana, inde quinqueſulcata, cum nucleo tereti. Floret ſub dio Majo & Junio. Semina Auguſto perficit. In latere tabulæ ſeorſim exhibentur umbellula fructigera & fructus integer; dein aucta flos, fructus ſingularis integer, & ſeminis diſſectio transverſa.

TABULA SEXAGESIMA TERTIA.

IATROPHA CURCAS. *Linn. syst. p.* 636.
Iatropha assurgens, ficus folio, flore herbaceo. *Brown. jam.* 348
Ricinus ficus folio, flore pentapetalo viridi, fructu lævi pendulo. *Sloan. hist. jam.* 1. *p.* 128
Ricinus americanus major, semine nigro. *Baub. pin.* 432.
Mundubiguacu. *Marcgr. bras. p.* 97
Medicinier. *Labat. t.* 3 *pag.* 97

Passim in insulis Caribæis crescentem vidi, valde inæqualis habitu arborem ad undecim plus minus pedum altitudinem se efferentem, odore viroso narcotico præditum, succo scatentem turbide aquoso, guttatim ex læsa effluente, & adstringente. Caulis brachii crassitie, teres, cinereus, & æquabilis, inconcinnos & longe nudos spargit ramos, a foliorum relictis cicatricibus exasperatos, fragilesque. Folia ultimos dumtaxat ramos juniores obsident, hic sparsa, glabra, petiolis teretibus longisque innixa, ad basin cordata, circumscriptione magis subrotunda, quinque lobis acutis in ambitu excisa, cæterum integra, subtus venosa; post florescentiam duplo quam in depicta icone majora. Pedunculi multiflori, teretes, ramosi, petiolis breviores, axillares & laterales exoriuntur ex ramis virentibus junioribus. Flores masculi & pauci fæminini in eodem racemo mixti. Maribus perianthium est pentaphyllum; foliolis ovatis, acutis, erectis. Corolla campanulata, semiquinquefida, calyce paulo longior, basi ventricosior, ex flavo sordide pallens, laciniis ovatis, obtusis, semireflexis. Filamenta decem, ferme æqualia, erecta. Antheræ oblongæ, cum virore flaventes. Intra corollam circa staminum basin glandulæ locantur quinque, flavæ, suborbiculares, compressæ, obtusissimæ. Fæminis calyx & corolla sunt, ut in maribus. Germen globosum, nudum, obsoletius trisulcatum. Styli tres, crassi, breves, virentes. Stigmata capitata, oblonga, obliqua. Fructus subrotundus, pendulus, trilocularis & trivalvis constat cortice duplici; exteriore crassiore, primum viridi lævi & subcarnoso, dein flavescente, tandem fusco sicco & rugoso; & altero interiore membranaceo ac tenuissimo. Semen in quolibet loculamento unicum, atrum cum punctis cinereis, hilo ad apicem albido. Nucleus candidus & ferme insipidus sola inter digitos pressione fortiori ex dissecta superficie oleum exsudat. In caldario floret quotannis Majo, rarius autem semina perficit Septembri. In tabulæ margine sistuntur fructus integer, ejus una valva, semen, idemque dissectum; tum aucta ad duplum calyx, corolla, & stamina cum glandulis. Rami qualescunque putati terræque commissi radices brevi agunt, nec ulla eorum pars emoritur: hinc passim incolæ ex iis sepes construunt. Nuclei a tribus ad sex assumpti purgant, plures simul vomitum excitant. Folia in balneis & fomentis resolvunt, & dolores leniunt. Paradoxa & superstitiosa plurima circumferuntur super hujusce plantæ effectibus imprimis apud Martinicenses, ubi summæ famæ est. Icon Labati nihil valet; & non possum non ratione hujus operis Labatini, monere Botanicos, ferme omnes ejus figuras plantarum videri in Europa esse effictas, nihilque continere veri, paucissimis exceptis, quæ ex aliis operibus fuerunt compilatæ, uti Cocos nucifera ex Horto Malabarico.

TABULA SEXAGESIMA QUARTA.

CROTALARIA CAPENSIS.

Ex seminibus sine [illegible] ex Capite bonæ spei ad clarissimum Rovenum missis, mecumque ante plures annos communicatis, germinarunt arbusculæ elegantes, sempervirentes, nunc jam decempedales, superne valde ramosæ, erectæ sed debiles, inferne carpum crassæ & cortice vestitæ cinereo, æstatem æque ferentes sub dio quam in caldario, maximam partem anni floribus numerosis onustæ. Rami seniores sunt lignosi & glabri; juniores villosuli ad lentem, ca-

ne-

nescentes & obsoletius striati; omnes teretes. Folia sparsim alternantur, longe petiolata, ternata; foliolis obverse ovatis, obtusissimis, integerrimis, brevissime petiolatis, facie glabris & saturate virentibus, dorso levissime canescentibus; intermedio paulo majori. Stipulæ foliolis similes, sed minores & sæpe emarginatæ, breviterque petiolatæ, latera petiolorum communium claudunt. Flores suaveolentes locantur a tribus ad quindecim in racemis lateralibus aut terminalibus, ipsi propriis instructi pedicellis, & ad hos bracteolis parvis & subulatis. Nonnunquam ad ortum racemi pedunculus uniflorus & solitarius egreditur una. Perianthium cum flavedine viret, corolla duplo brevius & semiquinquefidum, tubo amplo, campanulato totoque mellis pleno; laciniis lanceolatis, acuminatis, æqualibus, & patentissimis vel etiam reflexis. Vexillum amplum & erectum ex ungue crasso in laminam expanditur subrotundam, acute tamen desinentem, luteam, inque dorso striis sanguineis variegatam. Alæ oblongæ, luteæ, obtusissimæ, unguiculatæ, vexilloque breviores, adscendunt. Carina falcata, acuminata, fere longitudine vexilli, pallida cum apice virente, & dipetala, inferne hiat, superne utrinque arcte connivet, idque antice villorum ope. Filamenta decem connata sunt ad medietatem usque in unum corpus, superne liberum. Antheræ luteæ. Germen compressulum, pedicellatum, antice & postice canescens, terminatur in stylum longum, ad angulum rectum adscendentem. Stigma obtusum, subtus barbatum. Legumen unciale vel paulo longius, inflatum, in calyce emarcido pedicellatum, versus superiora crassescens, glabriusculum, dilute fuscescens, stylo persistente fusco & retrorsum arcuato-hamatum, uniloculare, continet semina plura nuda, rotundato-reniformia & fuscescentia. A Crotalaria laburnifolia differt foliis non acutis, præsentia stipularum, & carina non purpurea.

TABULA SEXAGESIMA QUINTA.

CISTUS ROSEUS. *Juss. in demonstr. horti reg. paris.*

Hic Cistus inter exstipulatos fruticosos est. Radix caulem promit ramosum, diffusum; basi cum ramis fruticosum, lignosum & perennantem, teretem. Rami juniores, racemi, folia & calyces sunt asperula, villosula, & subincana. Stipulæ nullæ. Folia sunt breviter petiolata, opposita, oblonga, acutiuscula vel obtusa, integerrima, & ad oras revoluta. Racemi terminales, multiflori, erecti. Pedunculi proprii in fructu reflexi. Calycis foliola tria ovata, obtusa & concava; duo reliqua breviora & angustissima. Petala carnea, ad ortum flava, integra & patentissima. Filamenta flava. Antheræ luteæ. Pistillum viret. Capsula subrotunda, unilocularis, trivalvis, tandem glaberrima. Semina pauca, fusca. Hyemem transigit in tepidario. Ad latus capsula dehiscens adstat.

TABULA SEXAGESIMA SEXTA.

APOCYNUM SIBIRICUM.

Jam ab aliquot annis sub proposito titulo semina hujus plantæ a pluribus Botanicis accepi; Apocyno cannabino proximæ. Radix perennis sub terra repit, novamque sobolem producit. Caules annui, erecti, teretes, ramosi, sesquipedales, medulla alba farcti. Folia opposita, oblonga, acutiuscula, integerrima, subsessilia, summa in ramulis ultimis manifestius petiolata, ad oras non revoluta. Pedunculi umbellati, terminales. Flores inodori, parvi. Calycis foliola oblonga, concava, erecta, virentia. Petalum album, campanulatum, calyce longius; limbo quinquefido, obtuso. Filamenta quinque, crassa, brevia. Inter singula hæc locatur glandula subrotunda viridis. Antheræ biloculares in conum connivent. Germina duo. Styli totidem. Stigma utrique unicum commune, capitatum, crassum, conicum. Fructum nedum tulit, etiamsi jam sæpius dederit sub dio flores. Tota glabra est, & lacte scatet.

TABULA SEXAGESIMA SEPTIMA.

CAPSICUM CHINENSE.

A patria nomen ſtirpi indidi, quam a congeneribus Linnæanis arbitror ſpecie diverſam. Truncus lignoſus, pollicem craſſus, & cortice cineraſcente obductus, per plures jam annos in caldario perennat, dum rami ultimi hyeme pereunt; idque in pluribus individuis. Tota glabra eſt. Folia ſunt ovata, acuminata, integerrima, alterna, longe petiolata. Pedunculi uniflori, ſolitarii vel gemelli, breves, nutantes. Calyx exiguus & acutus viret. Petali limbus profunde in lacinias lanceolatas cum aliqua flavedine albentes ſecatur; quæ ſupra tubum ſingulæ guttam liquoris dulcis, globuli ſub forma ibidem hærentem, exſudant. Antheræ atroviolaceæ eriguntur. Fructus nitidus, ovatus, obtuſus, obſolete angulatus, ſtructura & ſapore congenerum, flavus. Semina pallent. In inſula Martinica cultam vidi, fructusque in uſum culinarem adhibitos.

TABULA SEXAGESIMA OCTAVA.

DRYAS GEOIDES. *Pall. it.* 3. *pag.* 732. *tab. Y. fig* 1.
Agrimonia caryophyllatæ alpinæ luteæ Bauhinianæ facie, ſaxatilis. *Meſſerſchm. hodeget. MSt.*

Jam ab aliquot annis ſemina hujus plantæ ab amicis acceperam, modo ſub Gei reptantis, modo ſub Dryados pentapetalæ nomine. Ex enatis inde pluribus plantis, altero & ſubſequis annis florentibus, facile vidi, cum Geo repente, mihi noto, & cujus iconem tabula ſecunda & vigeſima Appendicis ad Floram Auſtriacam habet, confundi non poſſe. De altera, admodum dubia ſtirpe, hærebam. Et dum hujus quidem deſcriptio, quam Linnæus in Amœnitatibus ſuis dedit, non quadrabat in plantam noſtram; & illuſtris vir in Speciebus ſuis Joannem Bauhinum citat, teſtem ſuæ plantæ, *quoad ſolam*, uti ait, *figuram*, ubi tamen nulla apud Bauhinum figura eſt, quam omiſiſſe ſe de induſtria ipſe Bauhinus aſſerit, & ob alia ex citato Bauhino non intelligibilia, eandem ſtatueram ſub novo titulo proponere, impreſſis jam coloratisque tabulis. Opportune autem, antequam hæc prelo mandarentur, volumen tertium itinerarii Pallaſini ad nos advenit, in quo dubium omne ſolutum vidi, ut potuiſſem, ſi non jam paratæ tabulæ fuiſſent, icone edenda ſuperſedere. Mea tamen cultam plantam monſtrat, quam celeberrimus Pallas exhibet ſylveſtrem. Radix perennis, nec repens, nec flagella emittens, fuſca & fibris aucta, ætate evadit longe multiceps, cujusmodi unum caput ſetoſum, & a reliquis avulſum repræſentatur; odoris pauci, ſed ſaporis caryophylli aromatici ſine acredine. Folia ſunt radicalia, pinnata, utrinque hirſuta; foliolis admodum inæqualibus, ſuperne inciſis, obtuſis, exterioribus majoribus, extimis confluentibus. Pedunculi plures, radicales, foliis longiores, teretes, hirſutuli, erecti vel adſcendentes, bi- vel triflori, folia habent pauca, parva, diſtantia, ſeſſilia, lanceolata, acuta, & plerumque inordinate inciſa. Calyx monophyllus, ſemidecemfidus, foris piloſus, perſiſtens; tubo ex oblongo campanulato; laciniis patulis, lanceolatis, acutis, planis, alternis breviſſimis & quandoque minutis, ut ægre appareant. Petala quinque, flava, patentia, ſubrotunda, integra, calycem ſuperantia, ampla, ungue breviſſimo donata. Filamenta numeroſa, erecta, ſubulata, flava, poſt corollæ antherarumque lapſum tandem purpurea rigidula & perſiſtentia, longitudine calycis, cui inſerta. Antheræ flavæ & ſubrotundæ. Germina circiter quindecim in fundo perianthii in capitulum colliguntur, ovata, ad lentem ex albo muricata, deſinentia ſingula in ſtylum capillarem, longum, hirſutum, ſuperne ariſtatum nudumque, nec lateri germinis inſertum. Semina caudata, germinibus ſimilia. Floret ſub dio Aprili & Majo. Ad latus conſpicitur calyx fructiger, idem ſeminibus demptis longitudinaliter diſciſſus, ſemen, idemque auctum.

TA-

TABULA SEXAGESIMA NONA.

CONVOLVULUS GRANDIFLORUS.

Elegantem hanc Convolvuli ſpeciem ſponte creſcentem inveni in inſula Martinica ad ripas fluminis divi Petri, ubi volubilis arbores vicinas ſcandebat. Semina a me adlata lætiſſime in caldariis vegetantes plantas produxerunt, modo primo vere, modo ſub autumnum gemmas florum emittentes numeroſas, ſed ſemper ante explicationem deciduas, unica excepta vice, quando & flores aliquot expanſi, & ſemina ſubſecuta matura fuerunt. Caulis inferne lignoſus, fruticoſus, tamen mollis, teres, foris cinereus, & perennis, ramos emittit plures, celerrime increſcentes, volubiles, duodecim pedes altos; uti tota planta, nitidos; virentes & herbaceos. Folia ſunt cordata, acuta, ampla, alterna, longe petiolata. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori. Calyx oblongus fit ex foliolis arcte conniventibus & mutuo amplexantibus, obtuſis, & viridibus. Corolla maxima, nivea. Capſula globoſa, bilocularis, calyce obvoluta, & pollicis craſſitie, continet in quovis loculamento ſemina bina, ſublanata, fuſca. Flos eſt ſuaveolens.

TABULA SEPTUAGESIMA.

DOLICHOS TRANQUEBARICUS.

Ex Tranquebaria in India orientali accepta ſemina ſine titulo mecum communicavit ante plures annos clariſſimus Chriſtianus Fridericus Rottböll, Hafnienſis Botanices profeſſor. A congeneribus diſtinctum credo, quare ſub novo a patria nomine trado. In caldario primo vere ſata floret Auguſto & Septembri, & poſt fructum Octobri maturatum interit. Cum Dolicho unguiculato magna illi ſimilitudo intercedit, a quo conſtanter differre vidi florendi tempore autumnali, tum quod caule ramisque volubilibus alte ad vicina ſcandat. Totus (excepta petiolorum propriorum antica parte hirſutula) glaberrimus eſt. Foliola ſunt ovata & acuta; intermedio ad baſin parumper attenuato, lateralium lobo interno triplo anguſtiore. Ad horum petiolos ſtipulæ adſtant ſubrotundæ & parvæ; quæ in ramis ad petiolos communes ſunt ex lato lanceolatæ, acuminatæ, baſique in breve acumen productæ. Petioli dorſo ſubangulati, antice ſulco exarantur. Pedunculi teretes, ſolitarii, & elongati, tres quatuorve ut plurimum flores ſuſtinent in extremitate ſeſſiles & inodoros. Perianthii dentes ſunt quinque & acuminati. Vexillum dorſo pallide flaveſcit, facie ex cæruleo ruber, aut etiam ex rubro cæruleo varidique variegatur. Alæ magis cæruleſcunt. Carina albet. Antheræ flavent. Filamenta diadelpha ad unam tertiam dividuntur ſuperne partem. Legumen a Dolicho unguiculato ſola tenuitate diſcriminatur. Semina magis oblonga ſunt, minusque flaveſcunt.

TABULA SEPTUAGESIMA PRIMA.

DOLICHOS SINENSIS. *Linn. ſyſt. pag.* 482 *Rumph. amb.* 5. *p.* 375. *t.* 134.

Annua planta, tota glabra, cum cotyledonibus ovatis, caulem habet volubilem, duos vel quatuor pedes altum, angulatum, ad ipſam baſin teretem & ſtriatum. Folia ternata; foliolo medio ex baſi productiore ovato; lateralibus parte interiore anguſtis; omnibus acutis. Petioli angulati. Stipulæ caulinæ lanceolatæ, acuminatæ, integræ. Pedunculi teretes, ſtriati, ad apicem duos tresve flores ſeſſiles gerunt. Bracteæ parvæ & concavæ. Calycis dens ſuperior eſt ſemibifidus. Vexillum intus pallide violaceum & ſupra unguem flavum, extus ſordide flaveſcit, ſubrotundum, amplum. Alæ violaceæ, intus pallidius. Carina albet. Stig-

ma viret. Legumen ſubcylindricum, ſemipedem longum, pendulum, poſt maturitatem ad ſemina parumper torulosum, atque apice obtuſo & ſpathulato donatum, continet ſemina circiter duodena, ex oblongo reniformia, badia cum hilo pallido. Semina in India orientali quam maxime in uſum culinarem trahuntur

TABULA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

OCYMUM THYRSIFLORUM. *Linn. ſyſt. pag.* 402 *mant.* 84?

Indica & ſuaveolentiſſima planta ex radice annua ramoſa & nigricante caulem profert erectum, firmum, plus minus pedalem, glabrum, ramoſum, inferne obſoletius tetragonum, fuſceſcentem & veluti lignoſum; ſuperne virentem & herbaceum. Ramuli extremi pilis albidis ſunt hirſuti. Folia ſunt lanceolata, oppoſita, acuta, petiolata, utrinque viridia & glabra, ad oras obſoletiſſime ſerrulata, baſi integerrima, ad lentem utrinque punctata. Bracteæ foliis ſimiles, ſed parvæ & ciliatæ. Rami floriferi paniculato-faſciculati, conferti, denſiſſimi, terminales. Calycis ad lentem hirſutuli & ciliati labium ſuperius cordato-ſubrotundum, planum, integerrimum, reliquo calyce latius. Labium inferius quadridentatum; laciniis duabus inferioribus ſubulatis & longioribus. Corolla calyce duplo longior & partes floris reliquæ charactери Linnæano exacte congruunt. Floret Auguſto & Septembri. Totum petalum niveum eſt; nec quidquam de rutæ odore in planta percipio; nec purpuraſcunt rami vel bracteæ. Quare dubius hæreo, utrum ſit planta Linnæana; quam tamen ſub Ocymi thyrſiflori titulo ſæpius jam a Botanicis accepi.

TABULA SEPTUAGESIMA TERTIA ET QUARTA.

CUCUMIS ACUTANGULUS. *Linn. ſyſt. pag.* 640.
Cucumis longus indicus. *Grew. mus* 229. *t.* 16. *f.* 2
Cucumus indicus ſtriatus operculo donatus; corticoſo putamine tectus. *Pluk. alm.* 123 *t.* 172. *f.* 1?
Petola benghalenſis. *Rumph. amb.* 5. *p.* 408. *t.* 149?
Picinna. *Rheed. mal.* 8. *pag.* 13. *tab.* 7

Toti plantæ fœtor nauſeoſus eſt. Ex radice annua ſparguntur caules ramoſiſſimi, longiſſimi, aſperi, acute pentagoni, & cirrhis ſimplicibus vel in duo aut plura fila diviſis ſcandentes. Folia ſunt cordato-ſubrotunda, ſeptemangulata, ſerrato-denticulata, utrinque ſcabra; petiolis instructa longis, ſtriatis, antice ſulcatis. Flores maſculini locantur in racemis axillaribus, ſucceſſive prodeuntes unus alterve, dum ſic elongatur paulatim racemus flexuoſus angulatus & ſcaber ad pedalem longitudinem. Pedunculi proprii inſtruuntur bractea lanceolata ſeſſili & ſubdecurrente ad pedunculum usque communem. Calycis ſemiquinquefidi tubus eſt obſolete pentagonus, laciniis lanceolato-acuminatis. Petala quinque, diſtincta, unguibus ſuis tubo calycis adnata, obverſe ovata, emarginata cum medio denticulo, patentiſſima, calyce duplo longiora, flava. In centro calycis glandula locatur pallida, depreſſa, triangularis, copioſum ſuccum dulcem excernens. Filamenta ſunt quinque, in tria plerumque corpora connata. Antheræ in filamentis ſimplicibus ſimplices, in coadunatis geminæ, intorto-reniformes. Flos fœmineus inſidet ſolitarius pedunculo proprio, aut in axilla eadem cum racemo maſculo, aut in diverſa. Germen inferum, oblongum, teres, ſubvilloſum, utrinque attenuatum, angulis membranaceis decem extantibus acutisque auctum. Corolla & calyx ſunt, ut in maribus, ſed calyci tubus eſt vix ullus. Stylus craſſus, ſimplex, unicus. Stigma magnum, flaveſcens, craſſum, capitatum, trifidum, reflexum, inæquale. Adſunt etiam tria fila-

filamentorum rudimenta, lata, cuspidata, & brevissima; intimum unico, reliqua duplici cuspide armata. Glandulam nectaream inveni nullam. Fructus est oblongus, versus pedunculum attenuatus; in apicem brevem desinens, qui in sicco fructu præbet operculum, quod vi levi inde tolli potest; decem angulis extantibus & acutis angulatus, trilocularis. Primo viret cum pulpa carnosa seminibusque albis. Tandem cortex, nunc tenuis, ligneum colorem adipiscitur; caro disparet, & hujus loco adest substantia spongioso-fibrosa, sicca, ex centro ad peripheriam triplici productione pergens, ibidemque accreta; & semina evaserunt atra. Color vero aurantiacus atque igneus ille, per quem ex viridi in ligneum transiret, & cujus Rumphius meminit, sed de quo silet hortus Malabaricus, ne vestigio quidem apud nos apparet. Semina plurima, subovata, plana, rugoso-punctata, basi emarginata. Floret totam æstatem, sed fructus tarde maturescit, demum sub finem Octobris; quare, nisi primo vero urgeatur calore sinu vitrisque tegentibus, hyems prius ingruit quam semina perficiantur. Ad latus adstant stamen simplex, & idem aliud ex binis connatum.

In tabulæ septuagesimæ quartæ figura *a* sistitur fructus integer adultus ex majoribus, sed adhucdum virens & immaturus; ejusdemque in figura *b* transverse secti facies. Figura *d* repræsentat fructum ex minoribus maturum, transverse dissectum, seminibus exemptis vacuum, in cujus apice operculum conspicitur *c* Semen est maturum.

Proposui etiam in hac tabula, quod deficiebant in hoc opere locis suis, *e* florem integrum Bromeliæ Karatas, *f* eundem cum avulsis duobus foliolis calycis cumque discissa corolla, ut genitalia prodeant in conspectum. *g* Alstrœmeriæ pelegrinæ pedunculum fructigerum. Capsula trilocularis, trivalvis & polysperma, a costis externis, quæ fuerant anguli in germine, persistentibus in pedunculo, solvitur sponte, & ex his excidit *h*; tuncque in valvulas *i* dehiscit, seminaque *l* dimittit.

TABULA SEPTUAGESIMA QUINTA.

PANCRATIUM LITTORALE. *Jacq. hist amer. p.* 99. *t.* 179. *f.* 94.

Cum nulla ex Linnæanis specie elegantem hanc plantam combinare potui, quam spontaneam inveni anno 1758 mense Octobri in littoribus arenosis maritimis insulæ Tierra bomba, Carthagenæ Indicæ adjacentis, unde bulbi a me adlati in caldariis nostris quotannis læte florere pergunt. Hac itaque in tabula scapum florentem partemque folii superiorem in naturali magnitudine propono, tum quoque plantam integram multoties imminutam, ut judicium super illa Botanici ferre queant. Bulbus pugnum æquat, foris fuscus, ex squamis densissime compactus. Folia plurima, sublinearia, utramque tamen versus extremitatem attenuata, acutiuscula, integerrima, nitida, duos & ultra pedes longa, sesquipollicem lata, dorso parumper carinata. Scapus foliorum circiter altitudine, erectus, compressus, anceps, axillaris ex folio quodam magis interiore, tandem in fructu terram versus inclinatus, flores a quatuor ad decem successive florentes sustinens, vanillæ grato odore præditos. Spatha extima bivalvis & arida. Interiores germinibus interjiciuntur. Petali superi tubus a septem ad novem uncias longus, inferne pallide viret, & erigitur. Limbus niveus in lacinias dividitur lineares, integerrimas, canaliculatas, semireflexas, ad apicem callosas, tubo duplo breviores. Nectarium est infundibuliforme, inæqualiter emarginatum, album, patens, laciniisque triplo brevius. Filamenta subulata, patula, viridia, limbum corollæ non excedunt. Antheræ sunt aurantiacæ. Stylus viret. Fructus nucem juglandem ferme æquat.

TABULA SEPTUAGESIMA SEXTA.

TRIUMFETTA SEMITRILOBA. *Linn. syst. p.* 327. *Jacq. hist. amer. p.* 147

Triumfetta villofa, foliis inferioribus angulato - ovatis, ferrato - dentatis; floribus ternatis; fafciculis geminatis, foliis oppofitis. *Brown. jam. pag.* 233

Arbufcula humanæ altitudinis & ramofa in infulis Caribæis frequens occurrit, in caldariis noftris læte vegetat, fero quotannis floret, fcilicet Novembri & Decembri, atque hinc pauciora ad maturitatem femina producit. Truncus tandem ad carpi craffitiem accedit, cortice obductus lento & pallide fufco. Rami juniores & tomentofo - afperi virent. Folia funt alterna, petiolata, utrinque tomento fericeo ad oculum vix confpicuo nec hinc in icone exprimendo molliffima, fubcordata, acuta, ferrata, & femitriloba cum lobo medio productiore. Stipula utrinque ad petiolos fubulata. Racemi ad extremitates ramulorum foliofi, erecti, compofiti, pedunculis lateralibus umbellatim plerumque trifloris; pedicellis propriis in fructu pendulis. Partes fructificationis omnes funt uti in defcripta a me Triumfetta rhomboidea, etiam colore & magnitudine. In tabula racemus fructifer ad latus adftat, tunc magis elongatus, foliisque delapfis nudatus.

TABULA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

IATROPHA CARTHAGENENSIS. *Jacq. hift. amer. p.* 256. *t.* 162. *f.* 1.
Iatropha Ianipha. *Linn. fyft. pag.* 636.
Ianipha frutefcens. *Loefl. hifp. pag.* 309.

In Americanarum ftirpium Hiftoria folam folium cum flore & fructu, feorfim delineavi. Quum vero tandem hic, annum agens decimum feptimum, flores produxit primos, integrum ramum hic propono, ut completior plantæ cognitio habeatur, quum vix putem, alibi in hortis exftitere. Laetiffime tamen vegetavit in caldariis, & fæpius altiffima illa fuperavit, ut amputari debuerit. Defcriptioni, quod addam, nihil habeo, quare datam loco citato repetam. Frutex erectus, totusque glaberrimus, fucco fcatet, guttatim effluente, aqueo, fubvifcido, & odorato. In fylvis umbrofis vix ramofus ad viginti fæpe altitudinem pedum excrefcit, debilisque manet. In fruticetis apricis vulgo fexpedalis atque inelegans ad Iatrophæ Manihot habitum proxime accedit. In ipfis faxeis mœnibus caftelli fancti Philippi in Boca chica, poft ultimam Anglorum expugnationem diruti defertique, in arbufculam vidi excreviffe octopedalem, trunco erecto pollices diametro quatuor æquante comaque concinna confpicuam. Radix conftat ex tuberibus longis craffisque, foris fordentibus, intus albidis. Folia funt profunde palmata, & quinquepartita; lobis oblongis, acutis, integris, in medio utrinque finu magno excifis, exterioribus fæpe integerrimis: petiolo femipedali. Racemi laxi fœmineos flores paucos infra mafculos plures gerunt, fordide & cum flavedine virentes, calyce carentes. Petalum mafculum craffum, oblonge campanulatum, bafi planum, & femiquinquefidum, dividitur in lacinias acutas, erectas, externe bifulcatas, interne trifulcatas. Glandula nectarea flava convexula & in ambitu obtufe decemradiata totum corollæ fundum occupat. Ex receptaculo communi inter quoslibet nectarii radios adfcendunt totidem filamenta, omnino decem, adeoque inter fe diftinctiffima, nec adelpha, erecta; quorum alterna, paulo exteriora & craffiora, reliquis funt longiora; poft fœcundationem peractam omnia varie inflexa. Antheræ funt oblongæ, obtufæ & erectæ. Fœminis petala funt quinque, decidua, fimillima laciniis petali mafculini. Glandula nectarii magna, orbiculata, depreffa, margine infimo decemfulcato. Etiam hic decem filamenta adfunt, fed capillaria breviffima & antheris deftituta. Germen fubrotundo - ovatum, obtufe hexagonum, & corolla brevius, centro nectarii infidet. Styli tres, bafi connati, patentes, femitrifidi; laciniis fingulis definentibus in ftigmata ampla, plana, criftata, albida, profunde multifida, germini coronæ adinftar impendentia. Fructus globofus, nec fulcatus, conftat ex carne pauciffima nitida & virente cum fex lineis albentibus, tandem marcefcente & delabente. Tum ex capfula nitida, alba, tricocca. Semina etiam nitida funt, & viridia vel cinerea. Crefcentem vidi Carthagenæ in America torrida, ubi floret fere per integrum annum,

Ad

Ad latus tabulæ etiam exhibentur nectarium maris, fructus integer, capsula una, & hujus valvula.

TABULA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

DAUCUS POLYGAMUS. *Gouan. ill. pag* 9

Habitus & similitudo cum Dauco Carota sylvestri summa est, ut pro varietate haberi posset, sed planta etiam culta humilior tenuiorque manet. Hispania patria est. Radix fusiformis, gracilis, & albida odorem saporemque Carotæ habet; & modo annua primo anno caulem profert, modo biennis dumtaxat altero. Caulis erigitur, plus minus sesquipedalis, teres, striatus, ramosus, & pilis reflexis hispidulus scaberque. Folia Dauci Carotæ, sed minora, ad costas imprimis, tum subtus etiam pilosula, non lucida. Umbellæ erectæ, terminales, planiusculæ. Involucri universalis foliola linearia, trifida, acuta, hirsutula, fere quina. Partialis involucri simplicia, linearia, acuta, plus minus septem. Radii asperi. Petala alba, ob apicem inflexum cordata, externa umbellæ majora & difformiter dimidiata. Antheræ flavæ. Germen hispidum. Styli albi. Externi flosculi in umbellulis pauci ob germinis defectum sæpe abortant. In media umbella radius aliquis, involucro diphyllo donatus, & vel uniflorus vel pauciflorus, paulo altius attollitur, in quo flos locatur major, atropurpureus, difformis; hermaphroditus tamen ac fertilis. Semina sunt lanceolata, acuta, fusca, hinc plana, illinc convexula, striata, setisque hamatis & albis hispida; prædita sapore subamaricante & aromatico subacri. Ad marginem exhibetur flos centralis difformis, receptaculo umbellæ communi insidens; tum auctus flos exterior, semen utrinque visum, & aucti seminis sectio transversa.

TABULA SEPTUAGESIMA NONA.

ERIGERON GOUANI. *Linn. syst. pag.* 549. *mant.* 469

Radix pallide sordens & ramosa caulem promit plus minus pedalem, teretem, substriatum, subhirsutum, erectum, vix ramosum, rarisque foliis donatum. Hæc sunt alterna, lanceolata, acuta, dentato-serrata, facie glabra, ad oras nervosque dorsales breviter hirsuta & scabra, inferiora petiolata; summa sessilia. Rami axillares ex foliis summis, tandem etiam ex subsequis. Flores ad apices caulis & ramulorum congesti, brevibus pedunculis propriis donati, inodori, radio destituti. Calycis subrotundi, simplicis & fere ordinis unius, nec imbricati, squamæ lanceolatæ, in medio virentes crassulæ & ad lentem in dorso hispidulæ, ad oras membranaceæ & pallidæ, hinc remota foliola calycina mentiuntur. Corollulæ numerosæ, erectæ, calyce fere longiores; hermaphroditæ in centro plures, flavæ, tubulosæ, limbo quinquefido, acuto, patulo, erecto; fœmineæ apetalæ, copiosiores in ambitu. His stylus est tenuis, & tenue stigma; illis stigma oblongum & crassum est; utrisque bifidum & flavum. Semina parva, oblonga, fusca, coronata pappo sessili piloso. Receptaculum nudum planum. Floret sub dio a fine Julii ad Octobrim. Ad latus conspicitur seorsim squama calycina.

TABULA OCTOGESIMA.

CHENOPODIUM PURPURASCENS. *Juss. in dem. hort. reg. paris.*

Speciosa planta ex radice annua ad humanam altitudinem se effert, ramosa, inodora, caule donata subangulato & ad basin digitum crasso. Totus hic, uti etiam rami, petioli, pe

dunculi, flores, folia juniora, eademque adulta quoque plura ad basin & in dorso, colore eleganter & saturatissime sanguineo conspicua sunt. Reliqua folia luridum virorem habent. Caulis medulla alba farcitur. Folia sunt alterna, longe petiolata, sinuato-dentata, plerumque obtusa, utrinque glabra; inferiora deltoidea, superiora ovata. Racemi petiolis breviores, axillares & terminales, flores in plusculos glomos collectos gerunt. Perianthium quinquefidum, patens. Corolla nulla. Filamenta calyce duplo longiora, pallida, ipsa basi in unum corpus coalita. Antheræ geminæ, subrotundæ, ochroleucæ. Germen viride. Styli duo, albidi. Semen nudum, nigrum. Calyx & folia tenella, una cum pedunculis petiolisque, copiosissimis globulis rubris, facile secedentibus, obsidentur. Ad latus sistitur flos auctus. In China sponte crescit.

TABULA OCTOGESIMA PRIMA.

SILENE BELLIDIFOLIA. *Juss. in demonstr. hort. paris.*

Ex tenui & annua radice caulis exsurgit erectus, semipedalis vel paulo altior, teres, subvillosus, parumper glutinosus, simplex, ad summitatem breviter subdichotomus, paucíflorus, tandem ex axilla folii unius alteriusve ramulo plerumque unifloro auctus. Folia sunt lanceolato-oblonga, subacuta, integerrima, opposita, sessilia, subaspera & pilosa. Flores modori, erecti, brevissime pedunculati, noctu sese explicantes, matutino tempore iterum emarcidi. Calyx elevatus, striatus, villosus. Petala semibifida laciniis oblongis, rosea. Appendiculæ ad fauces albæ & crenatæ. Capsula ovata, glabra, ore dehiscente sexfido. Semina reniformia, punctata, nigra. Floret æstate sub dio.

TABULA OCTOGESIMA SECUNDA.

DATURA INERMIS. *Juss. in dem. hort. reg. paris.*

Radix annua caulem emittit quadripedalem, ramosum, fistulosum, teretem, ad ipsam basin quandoque carpi crassitie, glabrum. Folia sunt longe petiolata, utrinque glabra, acuta, lobato-incisa, laciniis acutis. Flores solitarii, plerique in divaricationibus ramorum, breviter petiolati. Calyx pentagonus, glaber, viridis. Corolla alba, calyce duplo longior, lobis rotundis & acumine auctis. Antheræ ochroleucæ. Capsula glabra, nec muricata aut spinosa, ovata, obtusa; semper erecta, adeoque speciem a Datura arborea Linnæi, capsulam gerente nutantem, indicans diversam. Et reliqua sunt ad characterem. Odor totius plantæ nauseosus est. Facie cum Datura Stramonio convenit, sed altior

TABULA OCTOGESIMA TERTIA.

SALSOLA SALSA. *Linn. syst. pag.* 196 *mant. pag.* 347.
Chenopodium maritimum, foliis sedi teretibus. *Buxb. cent.* 1. *p.* 21. *t.* 31. *f.* 1.

Annua planta, ad Astracanum sponte crescens, & tota glabra, ex radice ramosa caulem unum alterumve gignit, basi adscendentem, cæterum erectum, pedalem, substriatum, purpurascentem, veluti lignosum, ramis erectiusculis brevibusque maximam partem ornatum. Folia sunt linearia, carnosa, acuta, facie plana, integerrima, circiter uncialia, sparsa. Flores sessiles, axillares, congesti a tribus ad quinque. Calycis foliola quinque, patentissima, valde

con-

concava, purpuraſcentia, obtuſa; in fructu incraſſata & virentia. Filamenta calycem ſuperant, inſerta ante foliola calycis. Antheræ flavæ, ſubdidymæ. Germen ovatum viret. Stylos, quos Linnæus tres bifidosque huic plantæ tribuit, ſolos duos vidi, eosque craſſos ſimplices & ad apicem attenuatos in ſtigmata ſimpliciſſima. Capſula membranacea, fuſceſcens, tenuis, ſubrotundo-depreſſa, calyce, nunc ſucculento incraſſato ſemipellucidoque, ad oras, & ſæpe tota quanta, comprehenſa. Semen unicum, atrum, nitidum, exiguum, lentiforme, cum apice parumper cochleato. Floret Julio & Auguſto. Semina perficit Septembri. Ad latus tabulæ ſiſtit aucta florem, calycem fructeſcentem, capſulam, & ſemen; dein in naturali magnitudine ramulum fructigerum

TABULA OCTOGESIMA QUARTA.

SILENE PARADOXA. *Linn. ſyſt. pag.* 310
Lychnis viſcoſa peregrina noctiflora odorata. *Zan. hiſt. p.* 14[illegible] t. 109

Ex radice ramoſa & perenni caules annuatim gignuntur plures, erecti, herbacei, teretes, ad lentem villoſuli, ſeſquipedales, ſubincani, & ſuperne racemoſi, pedunculis lateralibus oppoſitis, ſubtrifloris, & una cum caulis ſuperiore parte viſcidis. Folia ſunt cuneiformia, glabra, ad baſin canaliculata, oppoſita, integerrima, & ad oras per lentem villoſula. Calyx decemſtriatus, longus, viſcidus, pilis capitatis albis plenus, ore quinquedentato & acuto. Petala alba; ungue longo & gracili; lamina bifida ex lobis oblongis & obtuſis. Filamenta & ſtyli albent. Antheræ cum virore flavent. Capſula nitida, ovata; ore ſexfido. Semina fuſca, reniformia. Flores ſub veſperam explicantur, tunc leviter odorati. Floret Junio. Fructum dat Auguſto.

TABULA OCTOGESIMA QUINTA.

CELOSIA LANATA. *Linn. ſyſt pag.* 187

Radix ramoſa & annua caulem promit calamo craſſiorem, erectum, teretem, folioſum, totum ramoſum, totius plantæ adinſtar tomento vix conſpicuo incanum, pedalem, dein in ſpicas longiſſimas numeroſas debileſque paniculatum. Tales etiam ſunt rami. Folia ſunt ovalia, acuminata, integerrima, in brevem petiolum anguſtata, alia etiam oblonga. Flores aggregatim & ſeſſiles ſpicam denſe obſident, toti nivei. Calycis dyphylli foliola late ovata, acuta, concava, petalis breviora, arida. Petala quinque, ovata, foris ad baſin lanata valde, cæterum etiam hirſuta, acuta, patula, in medio per lineolam virentia. Margo cingens germen decemdentatum. Stamina nulla. Stylus craſſus & brevis. Stigma hirſutum, purpuraſcens, longe bifidum. Capſula tenuiſſima unicum aut pauciſſima ſemina includit. Flores maſculos reperire non potui, quos tamen adfuiſſe, credibile eſt, quum ſemina matura obtinuerim. In caldario floret totam æſtatem; & cautius inferior quandoque perennat

TABULA OCTOGESIMA SEXTA.

OCYMUM AMERICANUM. *Linn. ſyſt p.* 402.

Gratiſſimi odoris plantam paſſim ſponte creſcentem vidi in arvis collibusque apricis Martinicæ, ibidem pedalem, in caldariis noſtris duplo altiorem. Odor caryophylli aromatici quid-

dam habet. Ex radice ramosa caulis assurgit erectus, obtuse tetragonus, glaber, inferne sublignosus perennis & fuscescens, superne cum quodam virore pallens. Rami oppositi, ad angulum acutum erecti, versus extremitates villosuli. Folia sunt lanceolata, acuta, petiolata, obsolete serrata, opposita, glabra, ad lentem utrinque punctata. Pedunculi terminales, erecti, longi, villosuli, pluribus verticillis sexfloris onusti. Sub his bracteæ sunt lanceolatæ oppositæ & ciliatæ. Calycis villosi & viscidul labium superius est integerrimum. Corolla carnea. Et totus character, uti in Ocymo thyrsifloro ante descripto. Floret in caldario totam æstatem.

TABULA OCTOGESIMA SEPTIMA.

MENTHA NILIACA. *Juss. in demonstr. hort. reg. paris.*

Odor toti plantæ aromaticus, non ingratus quidem aut gravis, sed cedens menthæ crispæ & congeneribus suaveolentioribus. Sapor leviter pungens. Nomen triviale patriam indicat. Definitione a mentha auricularia differt filamentis glabris, quæ in auricularia sunt pilosa; tum quoque foliis ovatis. Radix perennis, congenerum more, stolonibus sive caulibus radicantibus plantam multiplicat. Caules villosi, tetragoni, tandem ramosi, debiles, & pedales, adscendunt. Folia sunt opposita, ovata, minora lanceolatis, utrinque villosa & virentia, acuta, argute serrata, venosa, & sessilia. Spicæ densissimæ, plus minus unciales, ferme cylindricæ, terminales, in ramulis plerumque solitariæ; in summitate caulium plusculæ, quarum vera caulina ipsa erigitur, inferiores proximæ horizontaliter patent. Flores parvi. Calycis villosi limbus in denticulos quinque subæquales & lanceolato-acuminatos dividitur. Co-[illegible]e palleatis, infundibuliformis, erecti, & calyce fere duplo longioris, labium superius est [illegible]m vel semibilobum, inferius autem in tres lacinias ovatas vel oblongas obtusasque dividitur. Omnes in medio violaceum colorem habent. Filamenta alba florem in dupla longitudine superant, uti etiam stylus, donatus stigmate bifido. Antheræ sunt didymæ & violaceæ. Floret sub dio æstate, in hybernaculo hyemem transigens. Ad latus flos conspicitur auctus multoties.

TABULA OCTOGESIMA OCTAVA.

TANACETUM ÆGYPTIACUM. *Juss. in dem. hort. reg. paris.*

Annua planta ex radice albicante & tenuiter fusiformi producit caulem ab ipsa basi ramosum & plus minus semipedalem. Tota hirsutula est, & vix odorata. Rami teretes & ipsius caulis pars superior horizontaliter patent. Folia sunt pinnatifida, alterna, inferiora petiolata, superiora sessilia; laciniis omnibus obtusissimis, subintegris, exterioribus latioribus. Pedunculi uniflori in ramulis ultimis terminales, florentes suberecti, fructescentes nutantes. Calycis hemisphærici & virentis squamæ sunt oblongæ, hirsutæ, & ad apicem auctæ membrana alba ciliata. Flosculi flavent. Flores fœminei plurimi in radio; hermaphroditi in disco numerosi. Character utrisque Linnæanus congruit, scilicet corolla fœminis cum limbo trifido; hermaphroditis cum limbo quinquefido, etiam quadrifido. Tum reliqua. Omnibus germen est villosum, & calyculo proprio campanulato ciliatoque coronatum. Fœminarum corollulæ circa medium paucos villos subcapitatos emittunt. Floret in caldario Augusto & Septembri. Octobri semina maturescunt. Ad latus aucta adstant squama calycina & flosculus uterque. An forte Tanacetum humile Forsk. flor. arab. pag. 148?

TA-

TABULA OCTOGESIMA NONA.

HEDYSARUM FRUTESCENS. *Linn. syst. pag.* 494.
Hedysarum foliis ternatis, foliolis subovatis; caule frutescente. *Gron. virg. p.* 109.

Ex radice eadem plures caules egrediuntur, teretes, fruticosi, perennes, virgati, tandem aliquot pedes longi, ramosi, juniores villosi; quorum alii humi jacent, inque ambitum sparguntur; alii eriguntur, vicinisque sese sustentant. Folia alterna, petiolis villosis donata, ternata; foliolis subovalibus, obtusis, integerrimis, subtus villosis, supra fere glabris; in infimo caule sæpe rotundatis. Stipulæ ad folia lanceolato-acuminatæ, ad foliola setaceæ & caducæ. Racemi terminales, laxi, semipedales & ultra. Pedunculi proprii uniflori, gemelli, patentes. Flores purpurei, inodori, parvi. Calyx villosus, bilabiatus; labio superiori semibifido; inferiori trifido, laciniis acuminatis, erectis. Vexillum ex ungue brevi latissime ovatum, integerrimum. Alæ & carina oblongæ. Legumen unciale, compressissimum, fuscum, asperum, ex quinis plus minus articulis constans, nutans. Semina ochroleuca. Et reliqua ad characterem Linnæanum. Læte crescit in caldariis, floretque magnam æstatis partem.

TABULA NONAGESIMA.

IXIA LONGIFOLIA.

Jam a pluribus annis hic plantata, ortum ducit originis Afræ. Ex bulbo solido, albido, paucis tunicis vaginato, parvo, subrotundo, & qui antiquo effœto bulbo increscit, ad ipsam basin caulis enascitur, sub tunica per sulcum bulbo impressum adscendens ita, ut videatur ex ejusdem medullio egredi; magis minusve flexuose erectus, sesquipedalis vel duplo altior, glaber, subteres, inferne foliis vaginantibus longissimis, superne dumtaxat vestitus brevissimis spathæformibus. Folia sunt ensiformi linearia, acuminata, striata, glabra, integerrima, planiuscula, debilia, ab uno ad duos pedes longa, ad terram reflexa. Ex caulis vaginis, proprius interstinctis spathis membranaceis, pedunculi uniflori successive elongantur plures, graciles que. Petala utrinque pallide flavent, oblonga, acuta, plana, patentissima, alterna paulo longiora; tandem apices reflectentia, postea iterum erigentia sese, ac tunc clausa spiraliterque involuta marcescentia. Antheræ longæ, erectæ, flavæ, longitudinaliter externe dehiscentes. Stylus brevior dividitur in stigmata sex, æqualia, flava, filiformia, obtusa, patentia, longitudine antherarum. Capsula oblonga, obtusa, erecta, fuscescens, trilocularis, trivalvis. Semina numerosa, angulata, fusca. Floret sub dio in loco, qui tegi hyeme debet, Majo & Junio.

TABULA NONAGESIMA PRIMA.

BUPLEURUM ODONTITES. *Linn. syst. p.* 203. *Scop. carn.* 1. *p.* 210.
Bupleurum caule brachiato; involucris utrisque pentaphyllis, aristatis, petiolos excedentibus. *Hall. hist. helv. num.* 772.
Perfoliata minima, bupleuri folio. *Col. ecphr.* 1. *pag.* 84.
Perfoliata minor angustifolia, bupleuri folio. *Bauh. pin.* 277.
Perfoliatum angustifolium montanum. *Col. ecphr.* 1. *tab.* 247.

In Istria & adjacentibus provinciis Austriacis frequens occurrit. Quæ hic sistitur, in horto culta est. Annua planta sponte etiam hic quotannis se propagat. Glabra tota radici insistit gracili & albicanti, supra hanc mox ramosa. Caulis obsolete angulatus & debilis sæpe telluri inferne incumbit, ad summum pedalis. Rami valde divaricati sunt. Folia sublinearia,

acuta, integerrima, sessilia, fere graminea; summa magis lanceolata & acuminata. Umbellæ universalis involucrum componitur ex foliolis numero incerto a tribus ad quinque, lanceolatis, aristato-acuminatis, planiusculis, integerrimis, patentissimis, ex flavo virentibus. Radii inæquales. In partiali involucro foliola sunt semper quina, prioribus similia. In universum pedunculi florum masculorum hermaphroditis longiores sunt. Quandoque unicus in centro pedunculus reliquis longe altior est, sed sæpissime altiores plures sunt simul laterales. In qualibet umbellula flores locantur a quinque ad decem. Germen hermaphroditis est oblongum, glabrum, bisulcatum; maribus sterilibus nullum. Utrisque petala sunt lutea, oblonga, semi-inflexa antrorsum, apice bifida. Stamina lutea. Germinis vertex & styli flavescunt. Fructus oblongus, fuscus, exiguus, & striatus coronatur stylis divaricatis. Involucra partialia post fœcundationem eriguntur, connivent, & fructus includunt maturos. Floret a Julio ad Octobrem. Ad marginem tabulæ repræsentatur flos hermaphroditus auctus, tum fructus in natura magnitudine, idem auctus, auctique seminis sectio transversa.

TABULA NONAGESIMA SECUNDA.

SALVIA NILOTICA *Juss. in demonstr. hort. reg. paris.*

Sapor plantæ odorque paucus, nec gratus. Ex radice perenni, lignosa, ramosa & fusca gignuntur caules erecti vel adscendentes, debiles, bipedales, ramosi, tetragoni, annui, hirsuti, & parum viscosi. Folia sunt crenata, venosa, rugosa, mollia, subviscosa, utrinque villosa, opposita; infima oblonga, obtusa & longiuscule petiolata; subsequa ovata; summa sessilia, cordata & acuta. Flores locantur in summo elongato caule & ramis per verticillos distantes sexfloros fulcitosque bracteis parvis cordatis & acuminatis. Pedunculi proprii breves patent semper horizontaliter. Calycis villosi, striati, bilabiati, & semidivisi, laciniæ sunt lanceolato-acuminatæ, rigidulam in setulam terminatæ, in labio superiore minus profunde incisæ ternæ, in inferiore binæ. Petali ex purpureo cærulei labium superius est oblongum, obtusum, rectum, connivens, compressum. Inferioris trilobi lacinia media est subrotunda, am plior, emarginata vel integerrima, laterales oblongæ, obtusæ, breves. Filamentorum appendices sunt violaceæ. Antheræ pallent. Floret æstate. Ad latus seorsim folium caulinum infimum & corolla exhibentur.

TABULA NONAGESIMA TERTIA.

RUMEX ABYSSINICUS.

Semina hujus plantæ ex Abyssinia ante paucos annos adlata fuerunt sub nomine *Moooo*, *quo butyrum conservatur*, quæ terræ mandata produxere plantas, æstate dium ferentes, hyeme in tepidarium caldariumve transportandas, ubi mensibus Januario & Februario floruerunt in tertio ætatis anno, fructusque tulerunt maturos Aprili. Radix perennis constat cruribus pluribus, principe unam alteramve unciam in diametro æquante & perpendiculari, reliquis lateralibus gracilioribus fusiformibus & patentibus; omnibus in fibram tenuem longamque terminatis aliisque brevioribus in decursu auctis. Sapore gaudent adstringente. Color externus fuscus est, internus ex flavo rubus cum centro saturatiore. Caules plures, annui, (quorum unus in caldario perstitit, ut fruticosus videatur,) erecti, tamen debiles, a quinque ad novem pedes alti, foliosi, supra medium parum ramosi, pollicem digitumve crassi, fistulosi cum nodis impervius, interne medulla alba, (quæ juniorem, junci adinstar, integre implet, in adultiore autem ad latera secedit, sic ipsa fistulosa,) crasse vestiti, teretes, glabri, pallentes vel purpurei. Folia radicalia & caulina pleraque sunt cordato-hastata cum lobo medio elongato,

acu

acuta, subundulata, venosa, ad oras eroso-crenata, petiolata, alterna, glabra, acida. Petioli oriuntur ex vagina membranacea, tenuissima, amplexicauli, & ex fusco paliente. Caulina summa autem sunt linerari-lanceolata, acuminata & integerrima. Panicula laxa, terminalis in caule & ramis, numerosos flores parvulos & hermaphroditos continet. Calyx triphyllus viret, foliolis oblongis, concavis, obtusis. Petala pallida & subrotunda longitudinem calycis habent. Filamenta sex brevissima antheras gerunt erectas, ochroleucas, calycem ad duplum superantes, didymas ut geminæ credantur. Styli tres, patentissimi. Stigmata extra florem, more congenerum, ad latus inter rimas petalorum exeunt, alba, laciniata, magna. Semen nitidum petalis includitur valde auctis, rotundatis, integris, basi cordatis, glabris; nullo granifero. Pedicelli in fructu elongantur, suntque capillares. In tabula exhibentur pars rami, folium caulinum, pars truncata inferior caulis, flos auctus, fructus, & pars radicis lateralis. Sexu florum & radice non tuberosa differt a Rumice tuberoso Linnæi; statura, caule erecto, & colore florum ab ejusdem Rumice tingitano.

TABULA NONAGESIMA QUARTA.

TURNERA RACEMOSA.

Semina ante plures annos accepi sub Turneræ cistoidis titulo, ex quibus plantæ enatæ sponte in caldario Septembri demum florere cœperunt, & ad hyemis adventum ante maturatum fructum (quem propterea describere non potui) perierunt. Si consideramus latitudinem foliorum, & racemum florigerum, cujus nihil simile est aut in descripta aut in delineata ab autoribus Turnera cistoide, vix credibile est, sic variare posse, quare huic novum nomen dedi. Patriam ignoro. In icone sola radix deest, unde statura cognoscitur. Caulis teres, erectus, ramosus, una cum ramis pedunculis petiolisque obsidetur pilis longis densis & patentibus. Folia longe ovata vel lanceolata, obtusa vel acuta, rugosula, petiolata, alterna, crenata, ad nervos subtus imprimis hirsutula. Flores locantur in pedunculis unifloris solitariis axillaribus, tum etiam in racemo erecto terminali longo; suntque pedunculi proprii omnes geniculati. Perianthii exterius hirsuti tubus est campanulatus & brevis; laciniæ autem quinque, lanceolatæ, acuminatæ, patentes, virentes cum limbo albido. Infra & inter singulas has tubus calycinus munitur squamula subrotunda, ciliato-divisa, & tantisper connivente, qua caret Turnera ulmifolia. Petala lutea, obverse ovata, obtusissima, patentia, calycis longitudine, unguibus ferme destituta, inserta limbo tubi calycini supra squamularum exortum. Filamenta quinque, alba & brevia. Antheræ flavæ. Germen ovatum, virens, hirsutum. Styli tres, lutei. Stigmata lutea, infundibuliformia, multifida. Capsula subrotunda, villosula, parumper depressa.

TABULA NONAGESIMA QUINTA.

THALICTRUM ELATUM.

Et hujus Thalictri & subsequentis semina mihi missa fuere sub Thalictri sibirici nomine, at in neutro panicula est ad divaricationes fusca; nec flores cernui sunt; nec foliola, quantumvis sint in subsequo parva, sunt sextuplo quam in Thalictro minori minora; quas omnes proprietates sibirico suo Linnæus tribuit. Debui sic novum nomen dare, quod a caulis altitudine quadripedali & ultra desumpsi; nam neque cum aliis Thalictris Linnæanis combinare potui. Radix intus lutea, crassa, foris fusca, fibras numerosas congenerum more spargit, teretes, semipedales, partim flavas, partim fusco-pallidas; caulesque plures annuatim attollit teretes, erectos, ad basin digitum crassos, fistulosos, foliosos, ramosissimos, inferne purpureos, cæterum virentes, glabros. Foliorum vaginæ sunt striatæ; petioli teretes; ipsa circumscriptione

ampla & multiplicato - pinnata, foliolis aquilegiæ, utrinque glabris, venosis, obtusis, superne incisis, facie saturate virentibus, dorso glaucis. Flores paniculati, suaveolentes, petala habent quatuor, oblonga, obtusa, concava, pallida, & patentissima. Filamenta plerumque a duodecim ad quatuordecim, albida, petalis duplo longiora, diu erecta, tandem marcescentia & pendula. Antheræ oblongæ, erectæ & flavæ. Pistilla a tribus ad quinque in pauciora adhuc abeunt semina lanceolata, acuta, fusca, recta & substriata. Floret sub dio a medio Junio ad medium Julium.

TABULA NONAGESIMA SEXTA.

THALICTRUM MEDIUM

Mediam aliquam speciem inter Thalictrum majus & minus Floræ Austriacæ facit, foliis & statura a priore etiam diversum, cui fructificatione omnino congruit. Totum etiam glabrum est. Radix princeps quoque lutea, sed fibræ laterales omnes fordide pallent. Caules obsolete angulati ac bipedales. Folia inferiora multiplicato - pinnata; foliolis oblongis, acutiusculis, rariter incisis, subtus pallide virentibus. Floret eodem tempore

TABULA NONAGESIMA SEPTIMA.

SINAPIS PYRENAICA. *Linn. syst. pag.* 445
Erysimum dentis leonis folio, perenne, pyrenaicum. *Tourn. inst. p.* 228.

Jam a plurimis annis colebatur hæc planta sub titulo suo in Horto Vindobonensi, ex radice perennante quotannis novos caules producens; jamque diu sculptam iconem possidebam, ut huic operi insererem, plantæ integræ florentis cum addito fructescente racemo. Stirpem vero illam, quam in Floræ Austriacæ tabula ducentesima & sexagesima secunda sub nomine Sisymbrii austriaci proposui, foliis, statura, siliquarum longitudine & maturarum situ diversam, non poteram cum illa confundere; & tamen confundi oportuerat. Sic allucinamur sæpe in distinctione rerum naturalium. Adeo nunc similis pyrenaicæ austriaca evasit, ut discernere nemo queat, utque una sit eademque planta. Juvat tamen & pyrenaicam hic sistere, ut erroris causa pateat, habeaturque duplice sub forma sua. Descriptionem vero datam non repetam. Hic folia omnia inferiora sunt vere pinnata, superiora profunde pinnatifida. Siliquæ breviores, suberectæ, nec eodem versus spectantes. Et quidem secundum Linnæum siliquæ striatæ & scabræ sunt, sed lente opus est, ut & striæ, & nata ex paucis pilis tantula scabrities, detegantur. Rostrum dissepimenti tam parum supra valvulas eminet, ut hinc a sisymbriis excludi non mereatur, quibus etiam illud solenne esse, ipse Linnæus affirmat. Cæterum hæc arbitraria sunt.

TABULA NONAGESIMA OCTAVA.

SENECIO RUBENS. *Juss. in dem. hort. Paris.*

Planta annua caulem habet erectum, subangulosum, sesquipedalem, parum ramosum. Folia sunt ovalia, serrata, acutiuscula, subpetiolata, alterna, utrinque villis rigidulis ad lentem vestita; superiora etiam incisa. Pedunculi uniflori, longi, terminales, subsquamosi, teretes, ante perfectam florescentiam cum flore nutante incurvati superne, dein una cum flore ere-

erecti. Calyx baſi ventricoſus, viridis. In flore radius nullus. Floſculi vix calyce longiores, rubri, inodori. Floret in caldario, orta ex India Orientali.

TABULA NONAGESIMA NONA.

DURANTA ELLISIA. *Linn. ſyſt. p.* 425. *Jacq. hiſt. amer. p.* 187. *t.* 176 *f.* 77.
Ellisia acuta. *Læſl. it. pag.* 194.
Ellisia fruteſcens, quandoque ſpinoſa, foliis ovatis, utrinque acutis, ad apicem ſerratis; ſpicis alaribus. *Brown. jam.* 1. *p.* 262 *t.* 29 *f.* 1

Tamen in horto noſtro Botanico etiam floruit hæc elegans arbuſcula, in caldario ſempervirens, ſed fructum non tulit, quem in America a me depictum addidi; ubi copioſe in ſepibus Jamaicenſibus creſcentem vidi. Tota glabra eſt. Ex tribus individuis, quæ in horto aluntur, duæ plane inermes ſunt; tertia unicum ramum inferne armatum habet ſpinis oppoſitis, ſubulatis, gracilibus, rectis, horizontaliter patentibus, & axillaribus. Ligni cortex cineraſcit. Truncus humanam altitudinem excedit. Rami debiles, folioſi, teretes. Folia ſunt oppoſita, breviſſime petiolata, lanceolata, acuta, inæqualiter & obtuſiuſcule ſerrata, nitida. Racemi terminales & ex ſummis foliis axillares, reclinati, ſimplices. Pedunculi proprii uniflori, breviſſimi. Flores fere ſecundi, grate vanillam ſpirantes. Perianthium tubuloſum, obſolete quinquangulare, in denticulos quinque diſtantes breviſſimos acutos erectos & ſubæquales terminatum, perſiſtens, cum virore pallens; poſt corollæ lapſum arcte connivens & ſuperne quinqueſulcatum. Petali tubus cylindricus, calyce longior, & ſupra hunc incurvatus. Limbus fere longitudine tubi, ex violaceo cæruleſcens, rotundatus, obtuſiſſimus, patentiſſimus, planus, bilabiatus. Labii ſuperioris, quod extremitatem quidem racemi ſpectat, in racemo incurvato tamen ſitu videtur inferius, ſunt laciniæ duæ, anguſtiores inferioribus, & in medio notatæ linea longitudinali atroviolacea. Labii inferioris laciniæ ſunt tres ampliores & ſubrotundæ. Filamenta quatuor, omnium breviſſima, infra faucem corollæ. Antheræ ochroleucæ. Germen ſubrotundum in fundo calycis. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, obtuſum. Bacca ovato-ſubrotunda, incluſa calyci aucto nunc concolori, flava ſordide, obſolete tetragona, fœta ſeminibus quatuor bilocularibus & diſpermis. Calycis limbus ſupra baccam connivens & rectus. In caldario floruit Septembri.

TABULA CENTESIMA.

TERMINALIA ANGUSTIFOLIA
Croton Benzoë *Linn. ſyſt. edit.* 13 *pag.* 721. *mant. p.* 297

Anno 1770 ab illuſtri Lemonnier plurima inter alia ſemina indica accepi duos fructus ſub titulo *Benjoint ex inſula Borboniæ*, quorum alterum in caldario terræ mandavi, quo brevi germinante, alterum diſſecandum examini ſubjeci, pingendumque curavi. Singulari atque eleganti inde enatæ forma arbuſculæ jamque triennis ramulum ad celeberrimum Linnæum miſi, conſulturus, quod reperire non poteram, nomen. Ille, eſſe ſuum Croton Benzoën, in nupera Mantiſſa deſcriptum. Ex fructu cognito autem nunquam in hoc genere ego quærere illam debueram. Suſpicionem mox obortam cum Linnæo communicavi, quem aſſentientem habui, ut mirer, in editione Syſtematis Murræana hæc mutata non fuiſſe. Scilicet pro vocula *Benjoint*, quæ Gallice *rem* & hic *arborem bene connexam* ſignificat, forte ob aliquam hujus ſive arboris ſive ejus partis proprietatem, negligenter aut ſcriptum aut lectum fuiſſe *Benjoin*, quod Gallis *Benzoë* eſt. Videri autem, etiamſi flos foret ignotus, omnino ex fructu & habitu pertinere, ceu ſpeciem novam, ad Terminaliæ genus; ut ex lecto Horto Malabarico Rumphio-

 que

que unicuique patebit. Truncus in horto nostro jam octopedalis, ad basin sescunciam in diametro æquans, erectus, cortice fusco vestitus, teres, ad distantias unius plus minus pedis in ambitu emittit plures ramos, horizontaliter patentes, teretes, juniores villosulos, lentos, fuscos, longe nudos, ad extremitates foliis frondosis ornatos incrassatosque, & hinc iterum similes alios aliquot ramos gignentes; qui cum sint nova productione semper inferiores longiores, pyramidalem arbori formam concilìant; dum ipsa trunci summitas eadem ratione elongatur, atque ex foliosa coma identidem ramos porrigit. cujus singularis & speciosi habitus ideam tibi fingas ex Horti Malabarici Adamaram in partis quartæ tabula tertia delineato, si ramos, hic solummodo laterales, per totum circuitum sic fusos cogites. Folia sunt plurima in rosam patentem congesta, paucissima nonnunquam infra hanc alternantia alia, brevissime petiolata, longe lanceolata, acuta, virentia cum oris venisque utrinque sanguineis, breviter utrinque hirsuta, sed supra & ad oras densius, dorso nitidula, longitudine inæquali, mollinscula, integra. Nullus in cortice ligno foliisque odor est; sapor paucus subadstringens. Folia arbor in caldario quotannis mense Decembri deponit, per hyemem nuda; hæc autem Septembri in summo vigore sunt; quando simul rami prodeunt novelli, quorum nullus hyeme perit Gemmæ species rufæ, centrum foliorum occupans, ex qua suo tempore folia evolvuntur, forte etiam flores exeunt, perennat. Pericarpium est inverse ovatum, cum quadam flavedine fuscescens, hinc atque illinc in medio in gibbum longitudinalem protuberans; in marginem excurrens flave[illegible] [illegible], crasse membranaceum, versus alteram fructus partem magis contractum & [illegible], ut fructus hic evadat con[illegible] posita parte testudinem veluti referat. Videtur recens fuisse succulentius, sive drupa macilenta, cujus paucissima & nunc sicca caro flavescit, saporemque habet leviter adstringentem [illegible], durissima, crassissima, ovata, obtusa, gibbis inæqualibus aspera, & un[illegible], [illegible] nucleum unicum, teretem, gracilem, compressum, in altera compressa [illegible] [illegible], rufa, intus albidum, & [illegible]

Magna sic analogia in fructu est cum Myrobalano citrina, si [illegible] In tabula depingitur pars trunci quædam superior cum ramo unico, abscissis reliquis. T[illegible] fructus utrinque spectatus, idemque transverse dissectus, ut ejus ambitus, caro, nucis crassities & loculamentum bene innotescant. Dein exempta nux, purgataque a carne; & nucleus. Tandem etiam cotyledon; cujusmodi oppositæ duæ trunculum e terra germinantem comitabantur, per plures menses superstites. Si flores videre aliquando dabitur, alia occasione describam; quum huic operi metam ponere, sumptibus obrutus, nec adjutus, cogor Quum unica esset hæc arbuscula in horto, cogitatum est de ejus multiplicatione, ut ne excideremus, si illa periret. Olla igitur, humo plena, appensa fuit ramo magis vegeto, transverse ad medietatem inciso, & ob lentorem facile in altum erecto; idque more hortulanis solito. Ramus ultra annum sic relictus, ob situm mutatum alios in ambitum ramos emisit, ipsique arbusculæ similis evasit. Examinatus nulla auctus radicula conspiciebatur, sed vulnus cicatrice incrassata obductum. Abscissus tamen, terræque in olla commissus, sic vegetus incorruptusque stetit per sesquiannum, gemmas foliorum semiexpansas bis proferens, sed nullam vel minimam interea radiculam promens, tandem emortuus; singularis vitæ exemplum.

I N-

Tab. 1.

copyright reserved

Tab, 2.

Campanula grandiflora

copyright reserved

Pancratium declinatum

Tab 12

Amaryllis undulata

Hibiscus phoeniceus

Celosia [illegible]

Tab. 16.

Moraea fugax – Iris edulis L.

Asperugo aegyptiaca

Tab. 24

Tab. 6

Ornithogalum Pyramidale

Ornithogalum longibracteatum

Tab. 31

Ranunculus reflexus

Tab. 52.

Malva [illegible]

Tab 34.

Tab. 36.

Bubon galbanum

Tab. 57.

Astragalus

Tab. 38

[illegible]

Tab 996

Geranium [illegible]

Tab. 40.



Tab. 41.

Tab 42

Tab. 43

Tab. 44.

Tab. 45.

Lycopodium dichotomum

Croton balsamiferum

Tab. 27

Acalypha villosa

Tab. 49

Tab [illegible]

Tab. 53

a
a
c
d
b
b

Tab 58.

Corchorus siliquosus

Tab 60.

Tab. 12.

Oenanthe prolifera

Tab. 63

Jatropha Curcas

Tab. 65.

Tab. 91

Tab. 67.

Tab. 58.

Tab. 70

Phaseolus Mungo Linnaei

Origanum [illegible]

Tab. 74

Jatropha carthagenensis

Tab. 7[illegible]

Tab. 80.

Tab. 81

Tab. 82.

Tab. 34.

Tanacetum aegyptiacum

Hedysarum [illegible]

Tab. 91.

Tab. 92.

Tab. 94.

Thalictrum medium

Tab. 97.

Sinapis pyrenaica

Tab. 98.

Duranta Plisia

Tab. 100

INDEX
PLANTARUM VOLUM. TERTII.

A.

Abroma fastuosa. Tab. 1.
Acalypha villosa. 47.
Amaryllis undulata. 13.
Amomum Curcuma. 4.
- - Zerumbet. 54.
Angelica lucida. 24.
Apocynum sibiricum. 66.
Arabis pendula. 34.
Asperugo ægyptiaca. 21.
Astragalus Laxmanni. 37.
- - sulcatus. 40.

B.

Ballote suaveolens. 42.
Bubon Galbanum. 36.
Bupleurum Odontites. 91.

C.

Campanula grandiflora. 2.
Capsicum sinense. 67.
Carduus chius. 5.
- - leucographus. 23.
Caucalis helvetica. 16.
- - platycarpos. 10.
Celosia lanata. 85.
- - trigyna. 15.
Chenopodium purpurascens. 80.
Cheiranthus helveticus. 9.
Cistus angustifolius. 53.
- - roseus. 65.
Columnea scandens. 48.
Colutea perennans. 3.
Convolvulus grandiflorus. 69.
Corchorus hirsutus. 57.
- - hirtus. 58.
- - siliquosus. 59.
Corypha minor. 8.
Crinum falcatum. 60.
Crotalaria capensis. 64.
Croton balsamiferum. 46.
Cucumis angulatus. 73. & 74.
Cucumis pictus. Tab. 27.
Cyanella capensis. 35.
Cyperus compressus. 12.

D.

Datura inermis. 82.
Daucus polygamus. 78.
- - Visnaga. 26.
Dolichos sinensis. 71.
- - tranquebaricus. 70.
Dryas geoides. 68.
Duranta Ellisia. 99.

E.

Erigeron ægyptiacum. 19.
- - Gouani. 79.

G.

Geranium bicolor. 39.

H.

Hedysarum frutescens. 89.
Hibiscus phœniceus. 14.

I.

Iatropha carthagenensis. 77.
- - Curcas. 63.
Inula suaveolens. 51.
Iusticia martinicensis. 22.
Ixia longifolia. 90.

L.

Laserpitium dauricum. 38.
Ligusticum peregrinum. 18.
Lycopodium dichotomum. 45.

M.

Malva fragrans. 33.

O Men.

Mentha niliaca. Tab. 87.
Mesembryanthemum Aitonis. 7.
- - - - - copticum. 6.
Moræa fugax. 20.

O.

Ocymum americanum. 86.
- - thyrsiflorum. 72.
OEnanthe crocata. 55.
- - prolifera. 62.
Ornithogalum longibracteatum. 29.
- - - thyrsoides. 28.

P.

Pancratium declinatum. 11.
- - littorale. 75.
Poa aspera. 56.
Portulaca crassicaulis. 52.

R.

Ranunculus ruthenicus. 31.
Rhamnus colubrinus. 50.
- - cubensis. 49.
Rumex abyssinicus. 93.

S.

Salsola salsa. Tab. 83.
Salvia nilotica. 92.
Scandix nodosa. 25.
Secale prostratum. 44.
Senecio rubens. 98.
Sideritis canariensis. 30.
Silene Atocion. 32.
- - bellidifolia. 81.
- - paradoxa. 84.
Sinapis pyrenaica. 97.
Sison Amomum. 17.

T.

Tanacetum ægyptiacum. 88.
Terminalia angustifolia. 100.
Teucrium asiaticum. 41.
Thalictrum angustifolium. 43.
- - atropurpureum. 61.
- - elatum. 95.
- - medium. 96.
Triumfetta semitriloba. 76.
Turnera racemosa. 94.